D: HENR: IOS: REGA MED: DOC: PROFF: PRIM:

44343/B

103

82980

DISSERTATIO MEDICO-CHIRVRGICA
DE
NOVA METHODO CVRANDI FISTVLAS LACRYMALES

QVAM
SVB PRAESIDIO
VIRI MAGNIFICI PRAENOBILISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI
DOMINI
LAVRENTII HEISTERI
MED. D. ANATOM. CHIRVRG. AC THEOR. P. P.
ACADEMIAE CAESAREAE N. C. COLLEGAE
SOSTRATVS DICTI ORDINIS
MEDICI H. T. DECANI
DOMINI PRAECEPTORIS ET PATRONI SVI QVOVIS OBSERVANTIAE CVLTV PROSEQVENDI
IN ORDINE VT VOCANT CIRCVLARI
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
HENRICVS CHRISTOPHORVS RODBERG
ESSENDIA-VVESTPHALVS.
AD D. XXVII IVN. MDCCXVI.

ALTDORFI NORIC.
LITERIS IODOCI GVILIELMI KOHLESII ACAD. TYPOGR.

VIRO
FAMA MERITISQVE ILLVSTRI
PRAENOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO
ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
IOHANNI PHILIPPO HVTH

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO
CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI
EPISCOPI MONASTERIENSIS ET PADERBORNENSIS CONSILIARIO ET ARCHIATRO
DIGNISSIMO
PRACTICO VNDIQVAQVE FAMIGERATISSIMO
ET
IN AEGRORVM SALVTEM NATO
DOMINO AVVNCVLO ET PATRONO SVO
SVBMISSO ANIMI CVLTV AETERNVM DEVENERANDO
HAS INGENII SVI PRIMITIAS
IN SYMBOLVM ANIMI PRO TOT TANTISQVE BENEFICIIS
OBSTRICTISSIMI

D. D. D.

OBSEQVIOSISSIMVS EIVS CVLTOR
AVTHOR.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PRAEFATIO.

RElicturus hanc Muſarum ſedem officii mei eſſe putavi, ſpecimen aliquod profectuum Academicorum meis exhibere Patronis & Amicis. Benevolentia Magnifici Domini Præſidis uti nunquam, ita nec hic ſuum mihi denegabat & conſilium & auxilium, commendando præſertim novam blandam & facilem methodum curandi fiſtulas lacrymales, inventam per Dominicum Anel, Chirurgum Gallum jam per alia egregia facinora clariſſimum, & divulgatam in peculiari Tractatu Auguſtæ Taurinorum 1713. 4. Alphat. III. cujus inſcriptio eſt: Nouvelle maniere de guerir les fiſtules lacrymales, ou recueïl de differentes pieces pour et contre et en faveur de la même methode, nouvellement inventée par Dominique Anel, Docteur en chirurgie, cydevant Chirurgien Major dans les Armées de S. M. T. C. et enſuite dans celles de S. M. I. Inventum hoc tàm egregium eſt tamque utile, ut illud Germanis quoque noſtris melius innoteſcere non potuerimus non optare. At quamvis hic liber jam ante hos tres annos lucem aſpexerit, illum tamen vel nullis vel pauciſſimis ſolum hucusque rite notum eſſe inde colligimus, quia eum nec in Actis Eruditorum Lipſienſium relatum, nec alibi in Germania cognitum unquam deprehendimus. Cauſa forte eſt tum libri raritas, tum idioma quo ſcriptus eſt, Gallicum & Italicum. Calcar hæc omnia addebant methodum hanc, adjectâ accuratiore onomatologia & differentiis fiſtulæ lacrymalis, aliisq; ab Anello prætermiſſis, nec non prolixis controverſiis, quæ ad tria fere alphabeta ſe extendunt, in compendium redactis, Diſſertatione quadam Academica ad ductum laudati Do-

mini Præſidis & ipſius Authoris delineandi: præſertim cum ipſam hujus morbi curationem ab Exc. D. Præſide nova hac methodo hic loci inſtitutam aſpicere, indeque accuratum de hoc morbo conceptum formare mihi ex benevola ejus conceſſione licuerit. At temporis quem huic labori deſtinavi, brevitas ea eſt, ut non poſſim non metuere, me utiliſſimam hanc materiam pro merito non eſſe pertractaturum, nec forte ſine erroribus, quorum adeo veniam à Te B. L. mihi expeto. Sufficiet mihi dummodo ſcopum meum attingam, utilitatem ſcilicet publicam, & ut caput rei perſpicuè deſcribam, notumque faciam omnibus quibus ſalus humana curæ eſt, & ſic ſimul aliis literatis anſam ſuppeditem, methodum hanc vel excolendi ulterius, vel ſaltem data occaſione in uſum trahendi, hoc enim præcipuum eſt, quod intendo.

Ut autem novam hanc methodum rite deſcribamus, neceſſe eſt, ut 1) *onomatologiam & differentias fiſtulæ lacrymalis exponamus,* 2) *partes in hoc morbo affectas, eorumque ſtructuram naturalem delineemus,* 3) *generationem & ſigna fiſtulæ lacrymalis explicemus,* 4) *novam hanc methodum, & in quibus fiſtulæ lacrymalis ſpeciebus potiſſimum conducat, deſcribamus,* 5) *veterum quoque curandi methodos breviter explicemus,* 6) *controverſias ſive objectiones, quæ contra eam factæ ſunt, una cum reſponſionibus & ſolutionibus recenſeamus, ubi ſimul rationes ſolidiſſimæ occurrent, ob quas nova Anelli methodus aliis ſit præferenda; denique* 7) *ea quæ circa hunc morbum cum Excell. D. Præſide ipſi hic Altorfii obſervavimus, addemus, & per figuras quasdam idoneas ſcopo noſtro inſervientes, illuſtrabimus. Quod ut felix fauſtumque ſit, ſummum Numen ſumma animi devotione imploramus.*

CAP.

Cap. I.

Onomatologiam & differentias Fiſtulæ lacrymalis exponens.

I.

ACcurata fiſtulæ lacrymalis definitio, ejusque differentiarum nominalium evolutio, tanto magis utilis nobis viſa eſt & neceſſaria, quò ſæpius in lectione Autorum tam veterum quam recentiorum deprehendimus, craſſiſſimam fiſtulæ lacrymalis cum morbis quibusdam cognatis confuſionem non admiſiſſe diſtinctum & accuratum hujus morbi conceptum, quin potius variarum logomachiarum grandiumque in curatione errorum cauſam fuiſſe fertiliſſimam. *Fiſtulæ lacrymalis ſignificatio eſt confuſa.*

2. Nimirum ſenſu latiſſimo tum veteres tum etiam recentiores multi ad fiſtulam lacrymalem referre ſolent varios morbos circa angulum oculi internum & radicem naſi reſidentes, ubi vel pus in aut circa canthum majorem effluebat, aut involuntarius lacrymarum effluxus aderat, anchilopem ſcilicet, ægilopem, fiſtulam lacrymalem proprie ſic dictam & oculum lachrymantem. Quamvis vero quemvis ex his morbis eodem fiſtulæ lacrymalis nomine inſigniant, multi tamen eos diſtinguunt, & ſingulo peculiarem tribuunt ſignificationem & ab aliis differentiam, quod & nobis perſpicuitatis cauſſa amplecti lubet, & hinc quemvis eorum ſeorſim mox deſcribemus, prout cum ipſa re quam optime convenire nobis videbuntur. *Quid fiſtula lacrymalis ſenſu lato.*

3. Et ad *anchilopem* (a Gr. ἀγχὶ prope & ὤψ oculus nomen ſortitum) quidem quod attinet, in hujus de- *Quid anchilops.*

ſcriptione mire diſſentiunt veteres. Deſcriptio quam Gabr. *Fallopius* Tract. pecul. de vulneribus C. VI. ſuppeditat, talis eſt, ut melius quadret ad fiſtulam lacrymalem perfectam ſive externam, prout eam in ſeqq. vocabimus, quam ad anchilopem. Aliis vero (ut Galeno a) Paulo Æginetæ b) Dionis &c.) quos & nos ſequimur, anchilops eſt tumor inter oculi canthum majorem & radicem naſi: qui quandoque cyſticus, quandoque inflammatorius obſervatur, utplurimum vero a relaxatione, flacciditate aut paralyſi ſacci lacrymalis liquido lacrymali cedentis & in herniæ ſimilitudinem extenſi, oritur, qui preſſus diſparet, & liquidum contentum per canalem naſalem in nares, vel per puncta lacrymalia exſpuit.

Quid ægilops. 4. Excipit hunc *ægilops*, ab αἴξ capra & ὤψ, quod capræ huic vitio obnoxiæ perhibentur, de quo, ſi veteres conſulamus, maximum iterum reperiemus inter eos diſſenſum. Quibusdam anchilops & ægilops ſynonyma ſunt, ut Galeno Lib. Introd. ſ. Medicus C. 27. aliisque quamplurimis; cui tamen alio in loco nempe de Medic. fac. parab. Cap. 12. illud ægilops dicitur, quod nos antea anchilopem vocavimus, in quo etiam cum eo convenit Chriſtoph. *a Vega* de Art. Med. Lib. III. C. XIII. *Fallopius* autem l. c. illud ægilopem nominat, quod nos in ſeqq. fiſtulam lacrymalem imperfectam ſive cœcam nomine magis conveniente appellabimus, ſcilicet fiſtulam ubi nulla apertura externa adeſt. Plurimis vero, cum quibus & nos facimus, abſceſſus ſive ulcus ad angulum oculi internum, verbo, anchilops ſuppuratus & apertus ægilops audit. Hoc autem ulcus vel cutem perforat prope radicem naſi, ibique pus ſuum emittit, vel partes vicinas erodit, proſerpendo nunc verſus orbitam, nunc verſus genas, nunc ipſa oſſa inprimis lacrymalia aggreditur & deſtruit, vel utrumque ſimul facit. Quodvis vero ex his vel nullam habet cum viis lacrymalibus communicationem, vel cum iis communicat, quando ſcilicet pus acrius vel ductum puncti

a) *Finitionib. Med. cap. 17.* b) *Lib. III. cap. XXII.*

puncti cujusdam lacrymalis, vel ipſum ſaccum lacrymalem erodendo perforat, ſibique per illum exitum parat, cui ſi viarum lacrymalium exulceratio aut obſtructio accedat, pure per puncta lacrymalia regurgitante, aut ſinus efficiat, degenerat in veram fiſtulam lacrymalem.

5. Oculum lacrymantem (quem veteres forte ſub Rhyade intellexerunt, adeoque cum fiſtula lacrymali quam ſæpiſſime confuderunt,) definimus, quod ſit involuntarius liquidi lacrymalis ob quamcunque cauſam in nares influere neſcii, ſuper oras palpebrarum defluxus. Hunc vero non a veteribus tantum ſed & a recentioribus cum fiſtula lacrymali toto die confundi vel ſolum Lexicon Blancardianum toties recuſum reviſumque ſufficienter probat, titulo de fiſtula lacrymali. *Quid oculus lacrymans.*

6. Sufficiant hæc de ſignificatione fiſtulæ lacrymalis latiſſima, cui vero, cum minus accurata ſit, & multum confuſionis pariat tam in theoria quam in curatione, nos ſignificationem ſtrictiorem & accuratiorem ſubſtituimus, qua fiſtulam lacrymalem definimus, *quod ſit exulceratio viarum lacrymalium*, præſertim vero ſacci lacrymalis, quandoque ſine obſtructione ductus lacrymalis, ſed plerumque cum ejusdem obſtructione, & puris per puncta lacrymalia regurgitatione. *Quid fiſtula lacrymalis proprie.*

7. Hinc differt (1) ab anchilope, qui non niſi tumor eſt, juxta canthum majorem (2) ab ægilope, quod in hoc exulceratio ſit extra vias lacrymales, in fiſtula vero lacrymali proprie ſic dicta intra easdem. 3) Ab oculo lacrymante, quod hic tantum liquidum lacrymale, in fiſtula vero materia purulenta per canthum majorem effluat. *Cauſa* autem *hujus confuſionis generalis* videtur fuiſſe communis ille omnium errorum fons, minus ſcilicet accurata phænomenorum diſtinctorum horum morborum conſideratio. Specialis vero cauſa, quod anchilopem & ægilopem cum fiſtula lacrymali confuderint, eſt, quod uterque horum, ſi vehementior ſit & negligatur, facile producat *Differentia ab affinibus.*

cat

cat fiſtulam lacrymalem. Quod vero oculus lacrymans etiam confundatur cum fiſtula lacrymali rationem eſſe putamus, quod in utroque lacrymæ per oras palpebrarum depluant, & quod ex oculo lacrymante etiam oriri queat fiſtula lacrymalis, quando nimirum obſtructo ductu naſali vel ſacco lacrymali paralytico facto, lacrymæ in eo ſtagnantes & acriores factæ exulcerationem producunt.

Species fiſtulæ lacrymalis.

8. Sed ne nimis vagemur extra oleas recenſebimus iam ſpecies fiſtulæ lacrymalis ſenſu ſtrictiore a nobis ſumptæ. Dividitur enim fiſtula lacrymalis 1) in completam & incompletam, quæ poſterior iterum vel conjunctam habet dilatationem ſacci lacrymalis, (quam nonnulli herniam ejus appellant,) vel non habet. 2) in ſimplicem & complicatam, 3) in benignam & malignam, 4) in recentem & inveteratam, 5) in eam quæ coniuncta eſt cum obſtructione viarum lacrymalium, & in eam, quæ hac caret, 6) in eas, quæ continuo, quæ per intervalla, & quæ non niſi certis circuitibus pus ſuum effundunt; 7) denique in calloſam & non calloſam.

Earum explicatio.

9. *Fiſtulam lacrymalem completam, ſive perfectam & externam* vocamus, quando pus non ſolum per puncta lacrymalia ſed etiam per aperturam cutis juxta ſaccum lacrymalem vel prope radicem naſi effluit; qua apertura ſi careat, vocamus eam *imperfectam ſive cæcam*, quæ, ſi ſaccum lacrymalem in tumorem elevet, magnitudine quaſi piſi, ita ut preſſus pus per puncta lacrimalia emittat, & poſtea aliquamdiu diſpareat, donec nova materia rurſus repleatur, cum *hernia ſacci lacrymalis conjuncta* eſſe dicitur; quam vero abeſſe dicimus, ſi ſaccus lacrymalis non ſit diſtentus, licet accedente preſſione purulentam materiam ſurſum evomat. Duas has ſpecies perſpicue ſatis deſcribit Fabricius ab Aquapendente de Chirurg. operat. cap. de ægilope. Imo probabile eſt ex loco & circumſtantiis a veteribus deſignatis eos ſæpiſſime ſub anchilope ſuo nil aliud quam herniam ſacci lacry-

lacrymalis indicaſſe. *Simplicem* porro appellamus, ſi oſſa lacrymalia adhuc illæſa ſunt & integra; *complicatam* ſi eadem carie ſunt infecta, idque vel leviter & ſuperficiarie, vel profunde magis, & quandoque cum ipſius oſſis perforatione & puris in nares deſtillatione. Obſtructionem adeſſe dicimus ſi lacrymarum per vias lacrymales tranſitus vel a materia quadam tenaciore infarciente, vel a compreſſione externa, vel ab alia quacunque cauſa intercipitur & ſufflaminatur, eaque obſtructio vel inchoata tantum eſt vel perfecta, quæ ultima iterum eſt vel cum concretione viarum lacrymalium vel ſine ea. Inchoatam dicimus ſi viæ lacrymales pure tantum viſcido & craſſiore, ſed quod aliquam tamen adhuc habeat fluiditatem ſunt infarctæ, perfectam ſi idem illud pus ſucceſſu temporis magis exſiccatum induratum & quaſi ſolidum redditum easdem vias pertinacius infarcit & obſtruit. *Benigna* denique ea audit vel maligna prout pus vel acrius eſt & malignæ qualitatis, vel benignius. Reliqua ex ipſis terminis nota ſunt, niſi quod circa fiſtulam lacrymalem *periodicam* quædam adhuc notanda occurrunt. Nimirum deprehendimus quidem diverſos Autores mentionem facere fiſtulæ lacrymalis per certas periodos pus ſuum effundentis, ſed nusquam deprehendimus illos eam ex propria obſervatione allegaſſe. Hinc quamvis negare nolimus dari ejusmodi fiſtulas periodicas, dubitare tamen cæpimus, annon Autores ſub hac illam quoq; intellexerint ſpeciem magis familiarem fiſtulæ lacrymalis completæ cuius orificum exterius ſæpe cicatrice obducitur (verba ſunt ſupra laudati Aquapendentis l. c.) & rurſus aliquo temporis intervallo interpoſito renovatur, adeoque pus de novo exſpuit, interdum autem diutius apertum permanet, qualem etiam in ægra quadam ſingulis menſibus (inſtante ſcilicet fluxu menſtruo) recrudeſcentem cum Exc. D. Præſide obſervavimus, de qua inferius plura dicturi ſumus. *Calloſam* poſtremo nominabimus quæ latera obtinet dura; non

 callo-

callosſam, cuius parietes molles adhuc ſunt, quæ omnia ulterius explicabuntur, poſtquam ſolum viarum lacrymalium tanquam ſubjecti horum morborum ſtructuram naturalem expoſuerimus.

Cap. II.

Ductuum lacrymalium ſtructuram ſiſtit.

10.

de viis lacrymalibus. P*Artium morbo noſtro ſedem præbentium accurata deſcriptio adeo neceſſaria eſt*, ut ſine ea ipſa huius natura & curatio rite intelligi non poſſint. Vocantur autem hæ partes viæ ſive ductus lacrymales, eo, quod liquidum lacrymale a punctis lachrymalibus palpebrarum acceptum, in cavitatem usque narium devehant.

de viarum lacrymalium inventore. 11. Quod *ad harum inventionem* attinet, facile concedimus celeberrimo Morgagno (in Adverſar. Anat. p. 56. & ſeqq. & in ep. ad Anellum (a) Galeno jamtum Berengario & Fallopio nota fuiſſe non ſolum puncta lacrymalia, ſed & eos in quos producuntur meatus, adeoque Stenoni primam perpetui ab illis punctis ad nares aditus inventionem perperam a multis attribui. Interim mirari ſatis non poſſumus, qui factum ſit, ut ævo hoc Anatomicarum obſervationum fertiliſſimo, nemo fere repertus ſit præter Morgagnium & Anellum noſtrum qui hos ductus accuratiore deſcriptione dignatus eſſet, ita, ut ſecundum laudati Morgagni querelam a multo recentioribus Anatomicis (quam Galenus) aut unum modo aut utrumque etiam eorum in elaboratis alioquin & magnis C. H. hiſtoriis ſit prætermiſſum, vel, ſi quæ adſit deſcriptio, ea ordinarie vel ſuccincta

(a) *De la fiſtule lacrymale.*

cincta nimis ſit vel obſcura, prout hoc tum exempla ab Anello in epiſtola reſponſoria ad Morgagnium allata, tum innumera alia evincunt. Sed reſarciit hunc defectum quam optime poſt Morgagnium Anellus noſter in nova & exactiſſima deſcriptione Anatomica ductuum lacrymalium a palpebris usque ad membranam narium interiora obtegentem, methodo ſuæ novæ adjecta, quam cum ipſi naturæ convenientiſſimam deprehenderimus, hic pace Lectoris ad unguem ſequemur, adjectis figuris quibusdam idoneis, cum ea quam Morgagnii Tab. IV. Fig. I. ſiſtit propter minus concinnam carunculæ lacrymalis interpoſitionem non ſatis accurata nobis viſa ſit.

12. Nimirum videmus in quovis palpebrarum margine *de punctis*
proxime ad magnum oculi canthum parvam eminentiam albi- *lacrymali-*
cantem, pertuſam foramine in vivis & mortuis ſatis ſpectabili, *bus.*
imo ſetam porcinam vel ſtylum eiusdem craſſitiei facile admittente, quod *punctum lacrymale* dicitur. V. Fig. 4. Tab. I. lit. a. fig. 2. & 3. lit. b. Orificia hæc ut continuo pateant, annulo cinguntur quaſi cartilagineo, tenui admodum & ſubtili, quo impeditur ne concidant, adeoque liquido deſcenſuro aditum præcludant. Initium præbent duo hæc orificia duobus parvis ductibus c. c. fig. 2. & 3. a margine tarſi palpebrarum ſub cute oblique verſus naſum deſcendentibus, includendo in medio carunculam lacrymalem, quam ſuperior ductus tranſcendit, inferior vero ſub ea incedit. Ductuli hi ab Anello ob aliqualem ſimilitudinem *cornua limacum* appellati, ſimulac ad Canalem naſalem partim oſſi unguis, partim quoque *de ſacco la-*
oſſi maxillari inſculptum acceſſere, cöeunt poſt juncturam utri- *crymali.*
usque palpebræ in unum ductum, qui amplus fit, & figuram infundibuli aſſumit, unde etiam a veteribus *ſaccus lacrymalis* ab Anello vero *infundibulum* cognominatur. Ductus hic infundibuliformis dum per Canalem oſſeum ad nares deſcendit, ſenſim magis magisque anguſtatur, donec tandem ſub oſſibus ſpon-

gioſis inferioribus anguſto admodum foramine e e in narinas deſinat, quod foramen orificium ductus lacrymalis excretorium, ipſum vero ductum in canali oſſeo contentum dd tubulum infundibuli Anellus vocat, alii ductum naſalem vel lacrymalem. Perforat autem hoc orificium internam narium membranam ſub oſſe ſpongioſo inferiori, ſatis adhuc notabili ab extremo narium intervallo, ſecus ac in vitulis aliisque brutis, in quibus fere ad extremum usque naſum pertingit, uti apud Barthol. Anat. Lib. III. Tab. X. Fig. IV. videre eſt.

de ſitu partium lacbrymalium. 13. *Situs* igitur ita dictorum cornuum eſt inter cartilaginem tarſi & inter cutem, quæ oras palpebrarum inveſtit, non in ipſo tarſo. Infundibulum autem ſive ſaccus lacrymalis tegitur integumentis communibus in ſpatio illo quod eſt inter commiſſuram palpebrarum & naſum, atque per fibras muſculi orbicularis palpebrarum cum pauca pinguedine; à latere oculi per carunculam lacrymalem & quoque paucam pinguedinem. Reliquum ſacci lacrymalis continetur in canali oſſeo naſali dicto. Tubulus vero infundibuli ſive ductus naſalis cingitur ab uno latere membrana narium, & in altero latere a canali oſſeo oſſis maxillaris.

14. Ergo hi deſcripti ductus ſunt ductus continui a punctis lacrymalibus usque in naſum, eodem fere modo uti duo Ureteres cum veſica urinaria ductum continuum conſtituunt, quamvis uti hic ita & ibi partes pro diverſa ſua figura, ſituatione & uſu diverſa nomina recipiant.

de uſu partium lacbrymalium. 15. *Ad uſum harum partium* rite cognoſcendum ſciendum eſt, oculos noſtros pro diverſis uſibus continuo liquido quodam ex diverſis glandulis ſecreto allui. Hoc vero liquidum, ne continuo per genas depluat, neve continuo lachrymemus, partes has oculis appoſuit Creator ſapientiſſimus, ut ſcilicet per has liquidum lachrymale recipiatur, & ad nares deducatur, ubi forte odoratui inſervit & tandem excernitur.

Re-

Receptioni inſerviunt puncta lacrymalia muneri huic aptiſſima, cum liquida quæque non ſolum ſua ſponte ad angulum oculi internum utpote decliviorem ruant, ſed etiam ope nictitationis a contractione muſculi orbicularis palpebrarum illuc determinentur; caruncula vero lacrymalis in angulo majori eminentia ſua impedit effluxum illius liquidi e palpebris, & ſimul ad hæc puncta dirigit. Cartilagineus circulus hæc orificia ambiens idem officium ductibus lacrymalibus præſtare videtur quod arteriæ aſperæ cartilagines pulmoni exhibent. Nimirum aperta tenet hæc oſcula, ut liquidum continuo affluens continuo etiam poſſit abſorberi. Deductioni ad nares inſervit 1) infundibulum ſive ſaccus lacrymalis, 2) tubulus infundibuli. Præterea vero credere nos jubet amplitudo infundibuli, illud non pro ductu tantum, ſed & pro receptaculo inſervire, ut, ſi liquidum paulo copioſius influat, illud non mox per genas depluat, ſed ad aliqualem copiam ibi conſervari poſſit, donec per canalem naſalem ad nares tranſeat. Verum ſi ex quacunque cauſa liquidum illud nimis copioſe influit, ut tam cito nec ad nares tranſire, nec in ſacco lacrymali omne colligi poſſit, effluit per oculos & lachrymas conſtituit.

Cap. III.

De *Generatione cauſis & ſignis fiſtulæ lacrymalis.*

16.

PRæmiſſa anatomica hac partium lacrymalium ſtructura, facile nobis erit diſtinctum de generatione & cauſis fiſtulæ lacrymalis nobis formare conceptum. Aſſignamus autem *pro univerſali & proxima fiſtulæ lacrymalis cauſa* *exul-* *Cauſa proxima & modus generationis in genere.*

exulcerationem viarum lacrymalium, *præſertim vero ſacci lacrymalis*, qua quippe poſita, ponitur fiſtula lacrymalis, & ablata tollitur. Hæc vero exulceratio, uti jam ſupra indigitavimus, quandoque eſt ſine obſtructione ductus lacrymalis, utplurimum vero cum ejusdem obſtructione. Sine obſtructione eſt in ea fiſtulæ lacrymalis ſpecie, quæ preſſo ſacco lacrymali pus ſuum per punctum tubuli lacrymalis excretorium in nares emittit, qualem ſpeciem annotavit *Mangetus* a) non poſſet enim hoc fieri, niſi viæ eſſent liberæ. Utplurimum vero exulcerationem ſequitur obſtructio, idque 1) ob excoriationem parietum, 2) ob profuſionem puris. Parietes viarum lacrymalium excoriati facile concreſcunt, pus propter craſſitiem & viſcoſitatem ſuam facile in tubulo infundibuli ſtagnat; utrumque poteſt producere obſtructionem. Confirmat hoc experientia, qua quippe docemur rariſſime in fiſtula lacrymali pus per punctum excretorium inferius in nares excerni, utplurimum verò per puncta lacrymalia in oculos effluere, quod fieri non poſſet, niſi obſtructio adeſſet, (liquida enim niſi quid obſtet nunquam aſcendunt,) excepto unico hoc caſu, quando pus in tanta copia adeſt, ut non omne per punctum excretorium tubuli naſalis (etiamſi illum apertum fingamus) in nares effluere poſſit, ſed ex parte etiam ad puncta lacrymalia regurgitare cogatur. Verum non tantum tanquam effectus exulcerationem ſequitur obſtructio, ſed etiam eandem ſæpe tanquam cauſa efficiens præcedit; licet non ſola pro producenda fiſtula lacrymali ſufficiat. Quamvis enim tibi fingas obſtructas vias lacrymales ſine exulceratione, quid inde? ſtagnabunt in illis lacrymæ, & tandem per puncta lacrymalia regurgitabunt, adeoque oculum quidem conſtituent lacrymantem, non vero fiſtulam lacrymalem, quippe cujus neceſſarium requiſitum eſt, ut alia quam lacrymalis materia adſit, nam fiſtula

a) *Biblioth. Med. pract. Lib. VI. Tit. de fiſtula.*

fiſtula ſine pituitoſæ aut purulentæ materiæ effluxu dici proprie non poteſt. Hinc eſt, quod plurimi antequam fiſtula lacrymali corripiantur, per longum tempus oculo lacrymante laborent, quamdiu ſcilicet obſtructio adeſt ſine exulceratione. Ex eadem ratione illi, quibus ſaccus lacrymalis eſt obſtructus, ſi cæteroquin ſani ſint & liquida habeant blandiora, dummodo ſaccum lacrymalem ſedulo pro impedienda liquidorum ſtagnatione, & quæ hanc ſequitur, viarum lacrymalium exulceratione, ope preſſionis digitorum expurgent, oculos lacrymantes per plures annos ſine ſubſequente fiſtula circumferunt, quale exemplum habet *Nuck.* a) ſin vero ductus lacrymales obſtruuntur & non expurgantur, liquidum præterea lacrymale vel ſua natura acrius exiſtat, (ſicut illud in vehemente ophthalmia ad cauſticam fere acredinem acceſſiſſe, ita ut manus etiam ac genas exulceraverit, obſervavit *Verduc*, b) vel per ſtagnationem demum tale fiat, parietes ſacci & ductuum lacrymalium teneros irritat, inflammat, excoriat, exulcerat. Parietes exulcerati pus fundunt, quod cum indies magis magisque accumuletur, nec tamen propter obſtructionem deorſum fluere poſſit, ſurſum aſcendit, & per puncta lacrymalia effluit, nullæ enim ſunt in hiſce viis valvulæ, quibus ſurſum deorſumque permeans quoddam fluidum impediatur, unde etiam nonnulli tabaciſugi ſæpe clauſo ore & naribus, fumum ad palpebras usque compellunt, indeque per puncta lacrymalia emittunt. c) Hinc porro fit, ut ab initio, quamdiu ſola obſtructio adeſt, ſolæ lacrymæ, poſtea incipiente exulceratione lacrymæ ſaniei permiſtæ, & tantem merum pus per puncta lacrymalia exeat. Hinc porro eſt, quod oculus lacrymans tam ſæpe degeneret in fiſtulam lacrymalem, idque præcipue ſi vel obſtructio ſit profundior, (v. g. in tubulo infundibuli, ubi lacrymæ expri-

a) *Sialographia pag. mihi 68.* b) *Pathol. Chirurg. C. VII.* c) *Morgagni Adverſar. Anat. p. 58.*

exprimi non poſſunt,) vel liquida ob quamcunque cauſam acriora exiſtant, utrumque enim exulcerationem viarum lacrymalium promovet.

In ſpecie. 17. Sufficiant hæc de generali quarumcunque fiſtularum lacrymalium cauſa. Reſtat ut quoque diverſas diverſarum fiſtulæ lacrymalis ſpecierum cauſas ea qua fieri poteſt brevitate perſtringamus. Dependet autem hæc generatim a diverſa puris acrimonia & viarum lacrymalium conſtitutione. Nimirum ſi pus in viis lacrymalibus ſtagnans, acrius ſit erodit illud tunicam ſacci lacrymalis, eaque eroſa, vel cutem perforat prope canthum majorem, ibique magno cum dedecore effluit per genas, *fiſtulam lacrymalem completam* conſtituens, vel forte quandoque in ipſo angulo prope carunculam lacrymalem aperturam ſibi parat, ubi exire poſſit, quod tamen rarius fieri exiſtimamus; vel denique oſſa vicina arrodit & carie inficit, adeoque fiſtulam lacrymalem cum carie *complicatam* efficit, quæ caries olim plerumque pro cauſa fiſtulæ lacrymalis habebatur, cum tamen potius effectus ſit; imo, ſi major adſit acrimonia, os unguis, quod tenue valde eſt, profundius penetrat, perforat, oſſa ſpongioſa narium aggreditur, & quandoque pus ſuum in narium cavitatem emittit, quod fiſtulam lacrymalem *cum perforatione oſſis* antea vocavimus. Ab eadem illa acrimonia majore vel minore *quædam fiſtulæ per multos annos durant ſine notabili incremento*, aliæ contra intra breve tempus peſſimæ evadere poſſunt. Quod ſi peculiaris quædam adſit puris conſtitutio & ignota hactenus minimarum particularum diſpoſitio, qua partes molles indurat potius quam erodit, ſequetur fiſtula lacrymalis *calloſa*, & ſic porro. Contra in ſanioribus ſubjectis, ubi pus benignius eſt, illud nec ſaccum valde erodet, nec integumenta incumbentia penetrabit, nec oſſa carie inficiet, multo minus perforabit, nec parietes calloſos reddet, ſed ſolum per puncta excretoria effluet, ubi ſi

ſaccum

ſaccum lacrymalem inveniat ex ploratu multo, paralyſi vel alia quacunque cauſa facile dilatabilem, elevabit eum cum integumentis incumbentibus in tumorem plus minus conſpicuum, accedente digitorum preſſione pus per puncta lacrymalia fundentem, adeoque *herniam lacrymalem* producet. Idem pus ſi craſſius ſit, producet fiſtulam lacrymalem cum obſtructione, ſin tenuius, ſine obſtructione, cæteris paribus; poteſt enim ex alio capite pus etſi tenuiſſimum, dummodo coniunctam habeat acrimoniam, obſtructionem producere, excoriando ſcilicet parietes viarum lacrymalium. Obſtructio autem inchoata & perfecta dependent, uti ipſa earum definitio innuit, proxime a pure magis vel minus incraſſato, viſcido, exſiccato, indurato, vel etiam a compreſſione viarum a polypo aliove tumore in naribus; concretio vero viarum lacrymalium a prægreſſa earum inflammatione & excoriatione ac liquidi lacrymalis transfluxu impedito. Si denique pus generetur in ſufficiente copia, effluet illud continuo; ſin minus per intervalla; quod etiam fit, ſi ſaccus lacrymalis ſit valde diſtentus, ut magnam puris copiam poſſit recipere, tunc enim ſi ſemel per preſſionem digitorum ſit evacuatus; pus non prius effluet per puncta lacrymalia, quam ſaccus lacrymalis denuo ſit repletus: per periodos autem illud pus effluet, ſi viæ lacrymales (& in completa apertura externa ſimul) modo ſublata obſtructione & exulceratione conſolidantur, modo ob quamcunque cauſam, v. g. ſuppreſſionem menſium, hæmorrhoidum, cariem oſſium lacrymalium, de novo inflammantur, exulcerantur, obſtruuntur, adeoque pus ſuum vel per puncta lacrymalia ſolum emittunt, vel ſimul per foramen exterius, reſerata quæ illud obduxerat cicatrice protrudunt, ſicuti infra tale exemplum recenſebimus. *Inveterata* fit fiſtula plerumque ob neglectam in principio aut incongruam medendi methodum, ſic & ob pravam ægri temperiem; errores in rebus non naturalibus vel curatione commiſſos, puris acrimoniam & malignitatem, cariem oſſis ſubiecti &c.

18. Huc

Cauſa remota. 18. Huc uſque de cauſa fiſtularum lacrymalium proxima, idque tum in genere, tum in ſpecie. Remotam conſtituunt *omnia illa quæ vel obſtructionem vel exulcerationem in viis lacrymalibus poſſunt producere*, ut 1) materia quæcunque quæ craſſior eſt, quam ut per vias lacrymales ſine infarctu tranſire poſſit, quales ſunt lacrymæ craſſiores pus &c. 2) compresſio viarum lacrymalium a quacunque cauſa orta, ut a coryza vehementiore, membrana enim narium tunc inflammata et intumeſcens has vias neceſſario comprimit, aut a polypo narium. 3) Inflammatio viarum lacrymalium a quacunque cauſa orta, quatenus ſcilicet omnis inflammatio membranas incraſſat, & niſi reſolvatur tandem ſuppurationem, obſtructionem, parietum excoriationem & concretionem producit. In aprico hinc eſt quomodo ad fiſtulæ lacrymalis generationem concurrant 1) *paralyſis ſacci lacrymalis*, qua quippe fit, ut lacrymæ in ſacco ſtagnantes illum tandem arrodant & exulcerent. 2) *Ægilops*, hic enim ſi ſaccum lacrymalem erodat, pus eius in tubulum lacrymalem defluens, ibi partim propter craſſitiem ſuam ſtagnat, & liquido lacrymali exitum præcludit, partim etiam ipſas vias lacrymales, ſi acrius ſit, erodit & exulcerat, & ſic in veram fiſtulam lacrymalem tranſit: Inprimis vero *poſt variolas* fiſtulas lacrymales ſæpe ortas fuiſſe frequens docuit obſervatio, quæ obſtruendo, erodendo & exulcerando vias lacrymales fiſtulas tales producere aptæ ſunt. Taceo *cacochymiam*, *plethoram*, *obſtructionem menſium & hæmorrhoidum*, *eryſipelas faciei*, *lacrymas acriores & corroſivas*, *cephalalgiam & inflammationem oculorum diuturnam*, (a) quorum operandi ratio eum fugere nequit, qui ſcit Maſſam ſanguineam vel in motu vel in qualitate vitiatam, nusquam non ſtagnationes inflammationes & exulcerationes producere poſſe. Præterea non dubito, quin ſuam quoque ſymbolam ſæpius huc conferat

(a) *Burnet Theſaur. Med. Lib. VI. Sect. 13.*

rat *ſternutatoriorum* abuſus. Sane vehemens irritatio quam facit in naribus eiusmodi acris pulvis, nec non copioſa lacrymarum profuſio, quæ aſſumptionem eius ordinarie ſequitur, credere fere nos iubent ipſum orificium ductus lacrymalis excretorium ab iis irritari, conſtringi, arrodi, & ſucceſſu temporis forte etiam exulcerari. Nec prætereunda eſt ipſa viarum lacrymalium ſtructura membranoſa, crebris ſanguineis vaſculis & fortaſſe etiam ſubſtantia glanduloſa (b) rubeſcens, qua ſcilicet fit, ut illæ ad inflammationem ſuppurationemque contrahendam ſint aptiſſimæ.

19. *Diagnoſin* nobis ſuppeditant omnia illa quæ exulcerationem viarum lacrymalium produnt, præſertim vero puris vel alterius materiæ præternaturalis ichoroſæ vel pituitoſæ, ut Celſus loquitur, per puncta lacrymalia effluxus, quem cum fiſtula lacrymali propter puris craſſitiem ordinarie eſſe conjunctum ſupra iamtum indicavimus, isque vel ſpontaneus, vel ope compreſſionis ſacci lacrymalis obtinendus, cum perpetua fere lacrymarum in cantho maiore præſentia aut procidentia, ex quibus facile a morbis cognatis angilope, ægilope noſtro & oculo lacrymante diſtinguitur. Sunt quidem nonnulli qui ad fiſtulæ lacrymalis eſſentiam etiam callum requirunt; ſed quia fiſtulæ ani aliæque ſine callo exiſtere poſſunt, cur non & hæc? Monemus vero hic, quod tam veteres quam recentiores plerique hucusque putaverint, pus in fiſtulis lacrymalibus non ex punctis lacrymalibus, ſed ex eroſa caruncula lacrymali anguli interni, atque ſic per novam a pure factam aperturam effluere; quod vero accuratior inſpectio refutat. Si enim effluxus hic palpebris probe diductis & ſacco lacrymali preſſo accurate examinatur, pus e punctis lacrymalibus effluere conſpicitur, prout illud non tantum *Anellus*, ſed etiam D. Præſes in quinque oculis adhuc nuper hic Altorfi conſtanter obſervavit, quamvis *Diagnoſis.*

 inſpi-

(b) *Morgagni Adverſar, Anat.* §. 22.

inſpicientes facile fallantur, credantque materiam ex ipſa caruncula lacrymali profluere, & hoc quidem propterea, quia momento compreſſionis puncta lacrymalia digito quaſi occultant, niſi magna cautela palpebræ quodammodo invertantur. Quod itaque ut rite cognoſcatur, palpebra ſuperior eſt ſurſum trahenda, & ſimul ita invertenda, ut interior pars, ubi punctum lacrymale exiſtit, foris vertatur: hac ratione hocce punctum aperte conſpicitur, dum interea æger vel chirurgus digito quodam premit ſaccum lacrymalem, ſic conſpicietur materiæ efflxus per punctum lacrymale ſuperius: Quod idem obſervari poteſt in inferiore puncto lacrymali, ſi palpebram inferiorem paulo deorſum trahimus, & ſimul ita invertimus, ut punctum lacrymale huius palpebræ conſpici poſſit. Indicavit hoc iamtum ſatis perſpicue *Fallopius*, (a) ſed ſequentes plerique ſi *Mangetum* loco citato paucosque alios excipias, illud vel neglexerunt plane, vel ſaltem valde obſcure indicarunt. Speciatim autem an *completa* ſit hæc fiſtula vel *incompleta* facile ex præſentia vel abſentia aperturæ inter canthum oculi maiorem & naſum materiam purulentam eructantis diiudicatur. *Herniam ſacci lacrymalis* cognoſcimus, ſi tumor adſit prope angulum oculi internum accedente digitorum preſſione pus per puncta lacrymalia eructans, & per aliquod temporis ſpatium concidens, donec de novo ſit repletus, in quo ab illis anchilopis ſpeciebus, quæ nullam habent cum viis lacrymalibus communicationem, differt. *Cariem* adeſſe colligimus, præter alia ſigna cariei propria, præſertim 1) ex puris nigricantis, tenuioris, fœtidi, acerrimi vel quomodocunque a colore & conſiſtentia naturali recedentis

(a) *Obſerv. Anat. p. m.* 478. *ubi poſtquam deſcripſerat vias lacrymales, hæc tandem profert:* Per hos meatus maior lacrymarum pars ad oculos emanat, ipſorumque ſinus aliquando exulceratur, ſicque collecta ſanie ſpecies illa ulceris, quæ fiſtula lacrymalis dicta eſt. Hæc ſanies ſi dum collecta eſt, exprimatur ſinus, ita manifeſte excernitur per meatus dictos in internum oculi angulum, ut nil manifeſtius conſpici poſſit.

dentis effluxu. 2) Si ſpecillo immiſſo os nudum & inæquale deprehenditur. Quodſi ſimul apertura externa adſit, eaque ſi anguſta nimis ſit, quocunque modo dilatetur, ex colore oſſis p. n. fuſco vel nigro caries facile cognoſcitur. Denique Authores huc tanquam ſignum diagnoſticum referunt dolorem acutum prægreſſum, quatenus ſcilicet inde perioſteum & ſimul os corroſum eſſe colligunt. Notandum vero quod caries non ſemper in oſſe lacrymali hæreat, ſed ſæpe etiam in oſſe maxillari, ubi ſaccum lacrymalem tangit. *Perforatum & exeſum* os ad nares usque produnt 1) pus malignum & in nares cum ſummo fœtore deſtillans, 2) caries vehemens prægreſſa, 3) ſpecillum immiſſum vel liquidum iniectum per hanc aperturam in nares facile penetrans. *Benignam vel malignam fiſtulam* qualitates & effectus puris, duratio morbi, ægri temperies, difficilis item conſolidatio vel ſæpius reiterata recrudeſcentia manifeſtant. Dicimus autem pus benignum, quod ex albo flaveſcit, modice ſpiſſum eſt, nec tenue nimis, nec nimis craſſum, blandum, non acre & ſine magno fœtore; ubi contrarium eſt, malignum appellatur. *Obſtructionem canalis naſalis abeſſe* colcolligimus ſi preſſo tumore aut ſacco lacrymali purulenta materia in nares effluere percipitur; quod ſi non contingat, ſed ſolum per ſuperiora effluat, obſtructio aderit: quæ vero an incipiens tantum ſit vel perfecta, vel etiam cum viarum lacrymalium concretione coniuncta, ex maiore vel minore reſiſtentia, quam ſpecillum immiſſum offendit, iuncta longiore vel breviore morbi duratione innoteſcet. *Calli denique præſentiam*, durities partim externa digitis patens, partim interna ope ſpecilli explorandą, indicat: cui ſi parietum inſenſibilitas ope eiusdem ſpecilli detegenda accedat, res eo certior erit. Reliqua vel ex relatione ægrorum vel ex autopſia conſtant.

Diagnoſis anchilopis ægilopis & oculi lacrymantis.

20. *Anchilops* cognoſcitur ex tumore inter oculi canthum maiorem & naſum; qui ſi inflammatorius, ſigna inflamatio-

mationis generalia aderunt; ſi cyſticus, hæc abſunt, attamen tumor preſſus non diſparet. Si vero ab hernia ſacci lacrymalis dependet, preſſus diſparebit, & liquidum vel per puncta lacrymalia vel per canalem naſalem effluet: atque hæc ſpecies vix ſine oculo lacrymante aut fiſtula lacrymali exiſtere poteſt, prout materiam contentam vel lacrymæ vel purulentum liquidum conſtituunt. *Diagnoſin ægilopis* petimus ex loco abſceſſus ſive exulcerationis, quando nimirum extra vias lacrymales vel ſupra angulum maiorem tumor purulentus aut ulcus ſe manifeſtat, vel in palpebra inferiore directe infra punctum lacrymale inferius, ſicut apud *Anellum* (a) utraque hæc ſpecies reperitur obſervata, & in Tab. I. fig. 9. a nobis aliquo modo delineata ſiſtitur. *Oculus* vero *lacrymans* ex ſignis in definitione §. 5. datis cognoſcitur.

Prognoſis generalis.

21. *Prognoſin*, quæ reſtat, iam quoque breviſſimis expediemus. Morbus noſter fiſtula eſt eaque & profunda ſæpe & anguſtiſſimis orificiis punctis nempe lacrymalibus munita, & parti ſumme delicatæ ac ſenſibiliſſimæ oculo nempe vicina: omnia hæc curationem eius non tantum laborioſam valde reddunt & difficilem, imo non nullis in caſibus plane impoſſibilem, ſed & peſſimis quibuscunque effectibus ianuam pandunt. *Maxime autem reſpiciendum hic eſt ad pus*, quod ſi ex quacunque cauſa malignam contraxerit qualitatem ex ſignis ſupra §. 19. recenſitis facili negotio diiudicandam, nihil non mali poteſt cauſari pro infinitis huius malignitatis gradibus & varietatibus ita, ut etiam obſervante iamtum *Celſo* (b) interdum carcinomatis naturam induat, & mortem quoque ea res maturet, quod præſertim fieri exiſtimamus, ſi ulcera non tantum ſunt inveterata, & oſſa carie infecta, ſed peculiaris inſuper corporis cacochymia ſcorbutica vel venerea concurrat. Sed alios inſuper

(a) *De la Nouvelle Methode p. 216. & ſeqq. & ſuite de la nouvelle methode p. 21.* (b) *Lib. VII. Cap. 7. §. 7.*

ſuper peſſimos effectus edere poteſt idem pus maligna qualitate corroſiva & ſeptica imbutum, corrodendo & deſtruendo partes vicinas quascunque molles æque ac duras. Sic in Diſſert. de Ægilope ſub præſidio celeberrimi *Albini* Francof. ad Viadr. 1695. habita, obſervatio proſtat de pannifice, qui cum fiſtula lacrymali laboraret, & ab imperito Chirurgo per integrum biennium incongrue tractaretur, corroſis ſucceſſive totius faciei oſſibus tandem miſerrime obiit. Ad orbitæ usque os penetraſſe, illudque læſiſſe teſtantur Ephem. N. C. (a). Celeberrimus D. *Valentin* (b) in matrona magnæ proſapiæ fiſtulam lacrymalem annotavit, quæ tantos egerat cuniculos, ut humores purulentos per dentes & gingivas in os deduceret ac prorſus incurabilis eſſet. *Muunicks* (c) obſervat cartilagines palpebrarum & ipſam palpebram ſæpe ab ea lædi & corrumpi. Verbo nullæ partes vicinæ tutæ ſunt a puris maligni invaſione, prout obſervationes luculenter teſtantur. Neque etiam negligenda hic eſt ipſa corporis habitudo, uti enim omnis fiſtula, ita præſertim noſtra lacrymalis in corporibus cacochymicis, ſenilibus, emaciatis, vel alio quocunque modo male diſpoſitis, ſi inſanabilis non ſit, ſaltem multo plus negotii faceſſit, & multo difficilius curatur, quam in corporibus iuvenilibus, ſanis, robuſtis, bene valentibus, bonis ſuccis & humoribus inſtructis; imo, quamvis etiam conſolidetur, ſæpe tamen ob pravorum ſuccorum copiam denuo recrudeſcit.

22. Sed hæc generaliter, *ad ſpecialia* jam *deſcendimus*. *Specialis.* Ubi quidem omnium facillime citiſſime & perfectiſſime curari arbitramur fiſtulam lacrymalem *incompletam*, *ſine hernia*, *ſimplicem*, *recentem*, *benignam*, non calloſam, ſine obſtructione viarum lacrymalium, vel, ſi quæ adſit, ea ſaltem inchoata, quæ etiam teſte experientia non raro ſponte curantur, inprimis ſi pus

(a) *Decad. II. A. VI. obſerv. XXXII.* (b) *Chirurg. Med. Sect. I. §. 15.* (c) *Chirurg. Lib. III. Cap. 10. §. 3.*

pus ſæpius exprimatur. Contra difficillime non tantum, ſed & non niſi intercedente longinquo temporis ſpatio curatur fiſtula lacrymalis completa cum carie complicata, præſertim ſi oſſa multum eroſa ſunt, ipſaque fiſtula ſit inveterata, maligna, calloſa, cum pertinaci viarum lacrymalium obſtructione vel concretione etiam coniuncta. *Incompleta* vel eam ob cauſam, ſi cætera ſint paria, (quod & de reliquis intelligendum) bonam formare nos iubet prognoſin, quia ea de puris benignitate probabiliter teſtatur, nam pus acre cutem facile perforat; ſed probabiliter tantum, poteſt enim alia ex cauſa fieri, ut pus quamuis peſſimum ſit, cutem tamen non perforet, ſed alibi tragœdias ſuas ludat. *Hernia ſacci lacrymalis* ſi coniuncta ſit, curam Medico & ægro moleſtiorem reddet, quam ſi abeſt; ubi vero effectus magis eſt quam cauſa, & poſt obſtructionem canalis naſalis ab affluxu & ſtagnatione humorum in ſacco lacrymali orta eſt, obſtructione reſerata, ulcereque expurgato denuo ſubſidet. *Completa* contra, uti plerumque maiorem indicat puris acrimoniam, & cum carie oſſium lacrymalium utplurimum eſt coniuncta, ita ordinario plus etiam negotii faceſſit. Quod ſi vero ſit ſine carie, nec puris acrimonia nimia, facilius hoc reſpectu curatur quam cœca, quia faciliorem præbet aditum medicamentis & inſtrumentis. *Complicata* curari non poteſt, niſi ſublata prius carie oſſis, cuius vero curatio cauteriis & cauſticis fruſtra ſæpe ſuſcipitur in oſſe lacrymali ob cavernulas eius; imo præter dolores vehementes metuendum eſt, ne ægri in maiora pericula coniiciantur, & caries tamen non tollatur. Si vero caries ſit in oſſe maxillari, ob ſoliditatem huius facilius tollitur. Indicat præterea pus notabiliter acre, idque præſertim, ſi cum perforatione oſſis lacrymalis iuncta ſit. In quo poſtremo caſu metuendum etiam eſt, ne eroſa & exulcerata membrana narium, oſſa ſpongioſa carie vel difficillime vel plane non ſanabili inficiat, ipſamque ozænam producat. Dubiam hinc formandam eſſe prognoſin,

(præ-

(præſertim ſi malum ſit inveteratum) quilibet vel me tacente videt, quamvis eam cum *Celſo* pro inſanabili plane habere nolimus; peſſimos autem inde ſequi poſſe effectus docet obſervatio *Plateri* (a). *Benigna* porro bonam ſpem nobis facit, præſertim ſi methodo nova Anelliana curatio inſtituitur; uti contra nihil fere mali eſt, quod non maligna (pro diverſitate tamen malignitatis maius vel minus) metuere nos iubeat. Præter ea enim, quæ ſupra allegavi, aſſidue ſaltem ut loquitur *Celſus* l. c. male habet oculum, imo ſi maior adſit malignitas propter continuam roſionem eum vehementer ſæpe inflammat, & ipſam non nunquam cæcitatem inducit. Modo pinguedinem oculum circumdantem aggreditur, modo carunculam lacrymalem corrodit, in quo poſtremo caſu oculus lacrymans etiam poſt curationem vix ac ne vix quidem impediri poterit. Indicat præterea vel ſtatum fiſtulæ inveteratum, vel cacochymiam corporis: utrumque dubiam & difficilem reddet curationem, cum illud quod in una parte emendatur, in altera a malitia puris deſtruatur; ut taceam peſſimos effectus, qui cum hac puris malignitate utplurimum iamtum coniuncti ſunt, & curam valde retardant, cariem, partium vicinarum eroſionem, indeque ſequentem fiſtulæ ſorditiem, cavernulas & ſinus, qui etiam in cauſa ſunt utplurimum, ut tantum negotii faceſſant *fiſtulæ lacrymales inveteratæ*, quæ etiamſi ſecundum omnes cautiones practicas tandem ad conſolidationem deducantur, ſæpe tamen in ſubiectis cacochymicis recrudeſcunt, præſertim ſi methodis hactenus uſitatis tractantur. *Obſtructio* viarum lacrymalium quo pertinacior eſt, eo curatio eſt difficilior & magis dolorifica, hinc etiam mirandum non eſt, quod concretio ductuum lacrymalium, quæ ſummus eſſe videtur obſtructionis gradus, eam ſæpe in tam longum tempus protrahat. *Pus continuo effluens* exulcerationem vehementiorem indicat; *per in-*

(a) *Prax. Tom. II. de dolor. p. 285.*

intervalla, minorem; per conſequens hæc cæteris paribus facilius & citius curabitur quam illa. Quod ſi vero per periodos pus ſuum effundat, indicat vel cariem ſubeſſe vel cacochymiam. Sin vero ex cacochymia vel excretione quadam (menſium præſertim) ſufflaminata: hac correcta, vel excretionibus illis reſtitutis, curatio facilius obtinebitur. *Calloſa* denique cum de pure maligno tanquam effectus de ſua cauſa teſtetur, neque curari poſſit, niſi ſublato callo, præſagire nos iubet, curationem eius pro diverſis huius calloſitatis gradibus magis vel minus difficilem & diuturnam fore. Mirandum tamen eſt, quod *Maitre-Jan* tradit (a) & exemplis comprobat nonnullas fiſtulas lacrymales etiam cum carie coniunctas ſubinde ſponte curari, cariemque & callum a natura ſeparari, ſic, ut ægri integre fuerint reſtituti.

Prognoſis ex methodis hactenus uſitatis. 23. Tandem adhuc hic monemus, quod fiſtulæ lacrymales quæcunque ſecundum hactenus uſitatas methodos non facile curationem admiſerint, & inprimis ſi callus aut caries adfuerit, ſine ferro igne aut cauſticis ſanari non potuerit, & quidem ſemper *cum ſummo recrudeſcentiæ metu aut fruſtraneo prorſus ſucceſſu*, ſicuti experientia ſæpius docuit, quia obſtructio canalis naſalis non tollebatur, ſine qua ſanatio perfecta obtineri nequit, imo inopportune & cum damno ægri ad ferrum & ignem ſæpe confugiebant. Iam vero nova Anelliana methodo, ſi non omnes pleræque tamen funditus ſanari poſſunt, ſine horrificis & dolorificis illis adminiculis, ferro, raſione, igne, perforatione oſſis lacrymalis & cauſticis, quamvis etiam leviorem obtineant callum aut cariem; imo etiam conceptus de obſtructione canalis naſalis in fiſtula lacrymali docet, quod in tali caſu compreſſione ope inſtrumentorum & trochlearum peculiarium fiſtulæ tales curari non poſſint, & quod hæc omnia, trochleæ, inciſiones, aduſtiones, terebrationes & cauſtica incerta:

(a) *Maladies de l'oeil Cap. de Ægylope.*

certa ſint huius morbi remedia, & non niſi inutilia ſæpe ægrorum tormenta; methodus contra Anelliana blandiorem & certiorem promittit medelam, omnibusque in curatione occurrentibus indicationibus ſatisfacit, ſicut infra de commodis eius pluribus dicturi ſumus.

24. *Anchilops*, *Ægilops & oculus lacrymans* facile degenerant in fiſtulas lacrymales, niſi mature recte curentur, & ſic tandem omnia mala ſequi poſſunt, quæ a fiſtula lacrymali provenire diximus; Contra ſi ab initio rite & circumſpecte tractantur, fiſtulas cum omnibus ſuis ſequelis præcavere poſſumus. *Prognoſis anchilopis Ægilopis.*

CAP. IV.

Novæ methodi Anellianæ Deſcriptio.

25.

DEſcripſimus iam vias lacrymales, cauſas fiſtulæ explicavimus, diagnoſtica ſigna tradidimus, prognoſin formavimus; curam iam aggredimur non ferro & igne aliisque moleſtis pariter ac periculoſis incertisque præſidiis, ſed methodo blandiſſima morbique indicationibus apprime ſatisfaciente. Adeſt in omni fiſtula lacrymali exulceratio viarum lacrymalium, adeſt præterea utplurimum obſtructio; Duo adeoque in hoc ſtatu curatio eius perfecta indicat, 1) ut viæ obſtructæ aperiantur, 2) ut ulcus mundificetur & conſolidetur, ubi vero viæ non ſunt obſtructæ, prima indicatio ceſſat. At in illa viæ ſunt reſerandæ, ut liquidum lacrymale in nares effluere poſſit; tum etiam pro meliore ulceris mundificatione. Ulcus eſt mundificandum, ut conſolidetur; conſolidandum, ut viæ & impoſterum ſint liberæ, nec a pure denuo obſtruantur. Indicationibus his longe melius ſatisfacit *Anelli* methodus, quam ulla alia hactenus nota, aut uſitata, ab eo in prima Tractatus ſui parte, quam vocat *obſervation ſinguliere de la fiſtule lacrymale*, exactiſſime deſcripta, multisque cautelis & annotationibus practi-

cis utiliſſimis locupletata, prout eam primum Genuæ invenit, & mox in utroque oculo Illuſtriſſimi *Abbatis Fieſchi* Nepotis Eminentiſſimi Cardinalis Fieſchi, Archiepiſcopi Genuenſis felici ſucceſſu in uſum vocavit. Nimirum laborabat prædictus Abbas, 24. annorum, duabus fiſtulis lacrymalibus, quarum altera iam ultra triennium, altera ultra annum duraverat, & pertæſus longa morbi duratione, uſusque tot remediorum, quæ ipſi a celeberrimis Italiæ Medicis & Chirurgis ſed ſine fructu erant adhibita, metuensque peiora ſymptomata, *Anellum* noſtrum tandem etiam conſuli curavit, cui Medici illius ſequentia referebant: Ex canthis oculorum internis effluere ſaccis lacrymalibus compreſſis materiam ſeroſam, viſcidam, craſſam, pravi odoris in magna copia; remedia quidem ad malum hoc curandum adhibita fuiſſe optima univerſalia & particularia, cum idoneo vitæ regimine: adhibitos quoque fuiſſe pulveres errhinos & ſtenutatorios, ſed cuncta nihil ſolaminis attuliſſe neque mali imminutionem. Quærebatur ergo ab Anello an ad operationem quandam in fiſtulis lacrymalibus uſitatam tanquam extremum refugium ſit perveniendum: ſcilicet an inciſione per ſcalpellum, aut ferro candente, aut cauſtico, aut inſtrumento comprimente fiſtulis lacrymalibus ſpecifice appropriato curationem aggredi conſultum eſſet. Dum *Anellus* hanc relationem ex Medicorum ſcriptis perceperat, magna poſtea induſtria partes affectas in ipſo ægro Abbate ipſe perluſtrabat: Ubi quavis diei hora in quovis oculi cantho maiore magnam purulentæ materiæ copiam effluere percipiebat, quando ſaccus vel minimum comprimeretur. Ratione coloris flava erat materia effluens, de cætero partim viſcida, partim ſeroſa & fœtida, ſed in oculi cantho nulla apparebat inflammatio, aut tumor, aut durities, aut ulcus, neque æger dolorem ibi percipiebat. Ut autem ulterius cognoſceret Anellus, *utrum illa purulenta materia per carunculam an aliunde profflueret*, multum deſudaſſe ſe aſſerit, donec tan-

dem

dem probe diducendo palpebras, easque quodammodo invertendo, materiam illam non niſi per puncta lacrymalia regurgitare conſpiceret, quod bene notandum exiſtimat *Anellus*, quoniam Autores ſimiles obſervationes raro deſcripſerunt; verum e contrario utplurimum afferunt materiam purulentam ex ſacco lacrymali fiſtuloſo novam ſibi parare viam in loco carunculæ lacrymalis. Exiſtimat præterea *Anellus* in plerisque fiſtulis lacrymalibus, quæ externe nullam habent aperturam, rem ita ſe habere, quod nempe materia purulenta per puncta lacrymalia effluat quod etiam præter Exc. D. Præſidis obſervationes iam ſupra citatas, luculenta exempla ab *Anello* in ſeqq. allata ſufficienter demonſtrant. Ex his, obſervationibus in utroque prædicti Abbatis oculo inſtitutis, Anellus bonam formabat prognoſin: quod quoniam materia hic non erat tam acris, ut vel cutem erodere, vel in loco carunculæ lacrymalis exitum parare ſibi potuerit, probabile ſit, eam etiam ſaccum lacrymamalem nondum perforaſſe, nec oſſa carie infeciſſe. Attamen ex altera parte conſiderans longam mali durationem, magnam puris copiam, pravamque qualitatem, nihil certi de felici exitu prædicere auſus erat, metuens, ne materia peiores effectus intus effecerit, quam foris cognoſci poterat: Hoc minimum ſibi perſuadebat, ſaccum lacrymalem non tantum ulcere eſſe obſeſſum, ſed etiam valde dilatatum & forte etiam laceratum, & quod ſic materia ſinus & cavitates profundas forte formaverit in partibus vicinis pinguibus globum oculi circumdantibus, & inprimis in orbitæ parte inferiore. Cupidus itaque factus Anellus *ſtatum huius mali rite cognoſcendi*, absque tamen inciſione quadam externa, aut alia vehementiore methodo; hinc ſecum cocogitabat, annon ſtylum ſubtilem argenteum vel ſpecillum per punctum lacrymale in ſaccum lacrymalem immittere poſſet, ut ſic non tantum de magnitudine & profunditate hujus ſinus certior fieret, ſed etiam, ut exploraret, an oſſa quoque eſſent

 affe-

affecta ; Imo meditabatur ulterius , annon ſimul tali ſpecillo ductus lacrymalis obſtructus denuo poſſet aperiri , atque liber humorum ex ſacco lacrymali ad naſum tranſitus reſtitui, ſicuti in ſtatu naturali fieri ſolet; meditando progrediebatur, annon per aliam operationem ; nimirum per immiſſionem ſubtiliſſimi ſiphonis in punctum lacrymale medicamenta mundificantia & ſanantia poſſent iniici , ut ſic exulceratio ſacci poſſet ſanari , & via naturalis integre reſtitui. Quamvis hæ duæ operationes prima fronte non niſi ideales Autori apparuerint, quæ in uſum deduci in tanta partium ſubtilitate vix poſſent ; non intermiſit tamen hoc tentare in prædicto D. Abbate, & quidem ſequente methodo. Primo immittebat per punctum lacrymale ſetam porcinam, eum tantum in finem , ut inde craſſitiem ſpecilli & tubuli ſiphonis cognoſcere ſimilesque conficere poſſet, quodque ſpecillum in extremo obtuſum ſit, exactiſſime politum, & inſtar globuli , ne vel pungendo vel lacerando lædere poſſit. His igitur requiſitis talia ſpecilla ex filo argenteo magna induſtria fabricari curavit, & ſimul parvum ſiphunculum cum ſimilis craſſitiei tubulo. Specillo ad hanc perfectionem redacto, magna cum circumſpectione novam ſuam operationem in Abbate ſuo ſuſcipere inchoabat *Anellus* : nimirum ægro in ſella collocato in loco claro, indice manus ſiniſtræ elevabat palpebram ſuperiorem , ut punctum lacrymale in conſpectum prodiret; quod cum diſtincte videret, dextra parvum ſpecillum paulo incurvatum blande intrudebat : quæ inflexio propterea eſt neceſſaria , quia punctum lacrymale cum fundo ſacci lacrymalis curvam deſcribit lineam. Pro facilitanda vero via ad naſum, non tantum oram palpebræ ſurſum traxit, poſtquam iam ſpecillum per aliquod ſpatium immiſerat; ſed etiam illud verſus magnum oculi canthum tantum inflectebat, quantum fieri poterat. Immiſſo ſic ſpecillo ad ſaccum lacrymalem, eius extremo omnia latera ſacci lacrymalis percurrebat, ut cognoſceret,

ret, an eroſione laceratus ſit aut ruptus: & num os ſit nudum, nec ne? Æger affirmabat, ſe extremum ſpecilli in omnibus locis percepiſſe, quæ tetigerat: *Anellus* vero nihil aliud præternaturale perceperat, quam ſaccum lacrymalem valde dilatatum & exulceratum, eiusque ductum excretorium obſtructum: unde ſpem concipiebat, os non eſſe carioſum. Igitur, ſine eductione prædicti ſpecilli e ſacco lacrymali, illud verſus eum locum direxit, ubi ſecundum naturam in nares hiat; ſed quoniam eum obſtructum reperiebat, ut illud ad nares transmittere non poſſe, aliqualem impetum preſſionis adhibebat, ad ſpecillum usque in nares propellendum: id quod etiam ita ſucceſſit, ut eodem momento Abbas æger ſentiret aliqualem dolorem, & *Anellus* cum adſtantibus pauculum ſanguinis ex naribus effluere obſervaret. Poſtea eadem methodo eandem operationem in altero oculo perficiebat, & quoque aliquid ſanguinis inde promanabat cum pauco pure. Operatione hac etiam peracta & obſtructione viarum lacrymalium reſerata, liquore detergente nares & oculos fovebat, ut per puncta lacrymalia pars huius liquidi intrare queat in ſaccum lacrymalem, ſicuti alias liquidum lacrymale oculorum intrare ſolet. Verum conſiderans, quod non ſufficiat pro perfecta fiſtulæ lacrymalis curatione, aperire ductum lacrymalem, ſed quod etiam opus ſit, impedire novam obſtructionem, purgare exulcerationem ſacci, eamque ſanare, atque leves calloſitates, quæ a materia ſtagnante produci ſolent, reſolvere, iudicabat ad hunc finem obtinendum abſolute eſſe neceſſarium adhibere modum, quo idoneum remedium in ipſam ſacci cavitatem poſſit immitti, quod hunc effectum producere aptum ſit: & ſic opus erat, ut tubulus tam tenuis fieret, qui in punctum lacrymale immitti, & ope ſiphunculi liquidum conveniens (aqua mineralis) in ſaccum lacrymalem exulceratum iniici poſſet: & inveniebat tandem artificem, qui tam ſubtilem conficeret; quem ut in punctum lacrymale immitteret, ægrum

rurſus

rurſus humiliori ſellæ impoſuit, manum ſiniſtram fronti eius admovit, eaque ſyringam ſuſtinuit, dum æger ipſe uno digito palpebram inferiorem deorſum trahebat, ut punctum lacrymale inferius in conſpectum prodiret, quam etiam firmiter ſic ſuſtinuit: tunc *Anellus* ope dextræ manus ſimul tubulum ſyringæ immiſit in hoc punctum lacrymale, & piſtillo ſyringæ liquidum contentum in ſaccum lacrymalem iniecit. Iniectione facta invertebat paulum palpebram ſuperiorem, ubi compreſſo ſacco lacrymali liquidum contentum e puncto lacrymali ſuperiore proſilire videbat. Specillum per punctum lacrymale ſuperius immiſit, quia hac ratione facilius per totum ductum lacrymalem transpelli poteſt, quam per punctum inferius: propterea, quia linea, quam ſpecillum in tranſitu ſuo deſcribit, minus curva eſt, quam illa, quam deſcriberet, ſi per punctum inferius transmitteretur; E contrario injectionem inſtituit per punctum lacrymale inferius, quoniam punctum hoc ſtabilius eſt, minus vacillat, & facilius firmari poteſt, quam ſuperius, quod inde fieri exiſtimamus, quia ſuperior palpebra habet peculiarem muſculum elevatorem. Cæterum promiſcue tam per ſuperius quam per inferius punctum iniectio fieri poſſet, prout commodiſſimum videtur, dummodo liquor in ſaccum lacrymalem ingrediatur. Non potuit autem non operatio adeo bene præmeditata, adeo ſubtilis & delicata, ipſique rationi & fabricæ partium ſuperſtructa felicem quoque ſortiri exitum: Imo longe adhuc ſuperavit ipſius inventoris expectationem, quoniam cum eam inciperet, nunquam credidit ægrum Abbatem in tam brevi temporis ſpatio tam bonum effectum aut ſucceſſum perſenſurum. Poſtridie enim cum has operationes tam per ſpecillum quam per iniectionem eadem methodo repetierat, mox percepit diminutionem materiæ, eiusque magnam mutationem in colore conſiſtentia & odore, ſic, ut poſtquam per octiduum mane & veſperi iniectiones continuaſſet, illa quæ in oculo ſiniſtro

ſtro erat, & ultra annum iam duraverat, iam perfecte eſſet curata, & altera oculi dextri in tam bono ſtatu erat, ut non niſi parum ſeroſitatis exiret, cuius autem effluxus pariter quotidie minuebatur, ſic ut tandem brevi perfecte quoque fuerit ſanata, adiunctis ſimul ad revellendos pravos humores remediis univerſalibus, nec opus erat ad alias operationes confugere vehementiores. Atque hac ratione curabantur fiſtulæ lacrymales D. Abbatis Fieſchi, præſentibus Medicinæ Doctoribus D. D. *Rouſſo*, *Paſſano*, *Oliviero*, qui antea morbum hunc viderant, ac de prompto & efficaci operationis ſucceſſu valde attoniti erant. Fama poſtea felicis huius curationis brevi per Italiam percrebuit, vocatusque eſt *Anellus* noſter Auguſtam Taurinorum ad Sereniſſimam Principem matrem Ducis regentis Sabaudiæ, in qua denuo methodi huius felicem ſucceſſum memorabili exemplo confirmavit, præſentibus Medicis & Chirurgis Aulicis, & præterea fiſtulam quatuordecim annorum, aliamq; duodecim annorum curavit, ſicut apud Anellum (a) videri poteſt: ut alias curas, quas paſſim in variis perſonis cum magno nominis ſui incremento, & multæ pecuniæ collectione, feliciter coram Medicis Aulicis & Profeſſoribus Taurinenſibus, aliisque Medicis ac Chirurgis tanquam totidem inſignis eius dexteritatis & felicis operationum ſucceſſus teſtibus, præſtitit, ſilentio prætereamus, eadem quippe methodo inſtitutas, & in ſæpe laudato tractatu, una cum multis teſtimoniis, encomiis & applauſibus tam ipſius Abbatis curati, quam Nobiliſſimorum Medicorum Genuenſium, Taurinenſium, Paduenſium, Bononienſium aliorumque obvias. Igitur Autor merito exlamat: *ſi hæ operationes potuerunt tam magnos & fauſtos effectus producere in fiſtulis ita inveteratis*, quid non præſtabunt in incipientibus aut recentioribus? Et ſi methodum habemus adeo ſecuram & blandam pro curatione horum morborum in principio, eamque mature in uſum trahamus, tunc

E opus

(a) *Suite de la nouvelle methode p. 56.*

opus non erit amplius recurrere ad operationes violentiores, crudeliores, & quod maximum eſt, ſæpe ne quidem pro curatione horum morborum radicali ſufficientes: quoniam poſt earum uſum & omnia earum tormenta non raro fiſtulæ lacrymales manent inſanabiles. Interim tamen quamvis in plerisque fiſtulis prodeſſe queant: tantum abeſt, ut vel nos vel huius methodi inventor, has operationes pro univerſali & indubio omnium ſine diſcrimine fiſtularum lacrymalium remedio venditemus; ut potius ambabus manibus concedamus quandoque adhuc recurrendum eſſe ad operationes hactenus uſitatas, (de quibus capite ſequenti acturi ſumus,) in illis ſcilicet fiſtulis, ubi vel callus durior adeſt, vel caries oſſium profundior. At ſi nihil aliud adhuc mali adſit, quam exulceratio & obſtructio ductus lacrymalis, aut puncti tubuli lacrymalis excretorii in naſo, una cum dilatatione ſacci lacrymalis, imo etiam leviori callo aut carie, non dubitamus eiusmodi fiſtulas methodo modo deſcripta curari poſſe, ſine cauſticis, ferro, igne aut moleſta illa, qua chirurgi utuntur, ligatura comprimente, quod exempla ab Anello deſcripta probant, confirmantque. Sed quid dicimus leviores, *ſpes eſt fortiores quoque callos & caries hac methodo curari poſſe*, ſi idonea remedia iniiciantur, quæ vim habent callos emolliendi & reſolvendi, aut cariem tollendi; inprimis cum hoc a natura quandoque ſponte contingat, quæ adiuta fortior erit. Hæc potiſſimum ex primæ obſervationis *Anelli* deſcriptione deſumta ſunt; *reſtant alia adhuc deſcribenda, ad methodum Anellianam illuſtrandam eiusque utilitates comprobandas facientia*, quæ hinc inde in reliquo eius libro, qui maxime ex controverſiis conſtat, prolixe diſperſa in compendio exhibebimus: nimirum *in fiſtulis, cum obſtructione tubuli lacrymalis, ubi apertura adeſt in cute, ſpecillum* commodius per aperturam illam in ſaccum lacrymalem immittitur, ad tubulum illum aperiendum ſive perforandum, & ſimul iniectio & mun-

dificatio

dificatio per idem foramen fieri poterit, ſicut *Anellus* Alexandriæ hoc præſtitit, part. II. pag. 35. *Si in fiſtula lacrymali ductus naſalis adhuc apertus eſt & pus per illum in nares exprimi queat*, non indigemus ſpecillo pro eius reſeratione, ſed prima & indicatio & operatio ceſſant, atque non neglectis internis, tantum iniectionibus mundificantibus & ſanantibus opus eſt. *In ægilope ubi externe apertura adeſt*, iniectione aquæ mineralis vel alius idonei mundificantis remedii curatio haud adeo difficulter fieri poterit. *Si vero ægilops eſt cæcus* ſive externe clauſus, ſicuti morbus erat Principis Sereniſſimæ Sabaudiæ, qui extra ſaccum lacrymalem ſedem ſuam habebat, attamen ductum inferioris puncti lacrymalis, ſive cornu inferius limacis perforaverat, talis iniectione aquæ mineralis per punctum inferius mundificari & ſanari poterit, ſicuti hic intra quinque dies funditus curatus erat, nullo alio remedio adhibito. *Oculum lacrymantem* ex obſtructione tubuli lacrymalis pendentem, immedicabilem plerumque hactenus habitum, reſeratione obſtructionis ſpecillo Anelliano curari poſſe exiſtimamus. *Remedium pro iniectione*, quo uſus eſt Anellus, in prima parte 1713 edita, nullum deſcribit; In altera vero 1714 impreſſa, *Vallisnerii* petitis gratificaturus, unicum revelat, quo in curatione Abbatis Fieſchi ſe uſum eſſe optimo cum effectu profitetur, quod compoſuit ex ſalis mineralis aquarum Satelliarum (Gallis *les bains d' Aqui*) in ducatu Montis ferrati ʒj & mixturæ ex aquis ophthalmicis ℥iij. plura vero remedia hoc tempore deſcribere non e re eſſe putavit, donec pluribus prius fuerit inſtructus experimentis; tunc non ſolum remedia ſua candide revelare pollicetur, ſed librum meliori ordine, quam quo hic eſt, de fiſtula lacrymali promittit, in quo etiam delineationem accuratam ductuum lacrymalium atque inſtrumentorum ſuorum exhibere ſpem fecit.

26. Interea vero donec Clariſſimus Autor hoc præſtet, con- *Addita a D. Præſide.*

conſultum eſſe credidit D. Præſes tyronum præcipue in gratiam, qui alias hæc ſine figuris non facile capient, delineare non tantum ductus lacrymales in fig. 1. 2. 3. & 4. Tab. 1. ſed etiam inſtrumenta in hac operatione neceſſaria, de quibus quidem ignorat, an cum inventoris inſtrumentis in omnibus conveniant, quia ea non vidit, ſed prout illa D. Præſes iuxta deſcriptionem Autoris, quomodocunque fieri potuit, Norimbergæ fabricari curavit, & prout eis adhuc utitur. Fig. 5. Tab. I. denotat ſpecillum argenteum, in cuius apice a politiſſimus exiguus globulus exiſtit. Fig. 6. exhibet ſiphonem, quo liquidum in puncta lacrymalia iniicitur. Fig. 7. oſtendit inter oculum & naſum in loco ſacci lacrymalis tumorem viri fiſtula lacrymali laborantis, qui tumor ſimul imaginem exhibet herniæ ſacci lacrymalis, aut etiam anchilopis. (a) In Fig. 8. adumbramus ſeorſim dilatationem ſive herniam ſacci lacrymalis: reliquæ partes & literæ ex fig. 2. & 3. notæ ſunt. In fig. 9. ideam Ægilopis repræſentare voluimus, quando abſceſſus ſive ſedes ulceris eſt extra vias lacrymales, cum iis tamen communicat; ſic enim fieri poteſt, ut nunc ſupra vias lacrymales exiſtere queat & in ſuperiorem viarum lacrymalium partem hiare a: nunc infra vias lacrymales b, ſicuti *Anellus* utriusq; caſus exempla deſcribit, quæ vero loco multum variare poſſunt. Tab. II. mulierem oſtendit ad cuius dextrum oculum *a* fiſtulam lacrymalem extus apertam ſive completum obſervavimus; ad ſiniſtrum vero *b* cicatricem a rupta fiſtula lacrymali relictam, de qua inferius plura.

Cap. V.

De hactenus uſitatis fiſtulas lacrymales ſanandi methodis.

27.

Ut vero utilitas & præſtantia methodi Anellianæ eo melius

(a) *conf. fig. Bartiſchii in ophthalmod. part. IX. cap. XI.*

us pateant, præcipuas veterum & recentiorum hactenus notas & uſitatas methodos fiſtulas lacrymales ſanandi ea, qua fieri poterit, brevitate recenſebimus. Omittemus vero recenſionem multorum medicamentorum, quæ ab Autoribus deſcribuntur, utpote infidorum utplurimum, præſertim cum animus magis ſit methodos chirurgicas Autorum recenſere, easque cum Anelliana comparare. *Hippocrates* de fiſtula lacrymali proprie non agit; ſed *Galenus* variam deſcribit curationem, & quidem multa variis in locis recenſet medicamenta, quæ vero ob prolixitatem evitandam prætermittimus. At tres enarrabimus methodos chirurgicas, quas de comp. pharmac. ſec. locos Lib. V. cap. II. deſcribit, ubi *Archigenis* verba refert hoc modo: Quod ſi medicamentis non ſanentur ægilopes, 1) diviſo angulo & cum tenui *perforato terebello continuis foraminibus* incuſſis diſparato, capitale emplaſtrum adhibeto, diſcedent enim ſquamæ & ſanabuntur. Aut 2) oſſe denudato *cauterium admove* & ſic ſquamulæ diſcedunt ac ſanantur. 3) Quidam dividentes angulum, oſſi qua parte perforatum eſt, anguſtum in fundibulum admovent, ac *plumbum liquefactum infundentes urunt*, atque hoc modo optime ſanant. Præterea *Galenus* Iſagog. C. 29. Ægilopas, inquit, ad os usque excidentes ferramentis candentibus adurimus. Sunt autem qui loco ferramentorum candentium terebra os forant usque in nares. *Celſus* Lib. VII. C. VII. curationem ægilopis ita deſcribit: Hamulo ſummum foraforaminis eius excipiendum, (nam intelligit fiſtulam extus apertam) deinde totum id cavum, ſicut in fiſtulis dixi, usque ad os excidendum; oculoque & cæteris iunctis partibus bene obtectis, *os ferramento adurendum* eſt vehementius. Quodſi iam carie affectum eſt, quo craſſior huic ſquama abſcedat, quidam *adurentia* imponunt, ut atramentum ſutorium, vel chalcitidem vel æruginem raſam, quod & tardius & non idem facit. Oſſe aduſto curatio ſequitur eadem, quæ in cæteris uſtis.

Methodus Galeni aut Archigenis.

Celſi.

Ægineta. *Paulus Ægineta* de Art: medendi Lib. VI. C. XXII. hæc habet, Si in ægilope ad ſummam cutem eruperit abſceſſus, tota eius extuberans pars usque ad os circumcidenda eſt. Si ad malam ſubierit fiſtula, tota ipſa erit aperienda atque explicanda: tum os ſi incorruptum fuerit, *radendum:* ſi carie iam vexetur, ſpongia ex frigida aqua oculo obtecto tenuibus ac retuſis ferramentis *adurendum.* Non nulli poſt carnis exciſionem *terebra* uſi humorem vel pus in nares traducunt: nos ſola aduſtione contenti ſumus, ſic ægilopicis cauteriis adhibitis, ut ſquama reſolvatur. At ſi minime ad ſummam cutem ſed ad angulum ægilops tendit, (hoc eſt, ſi fiſtula cœca) ſcalpello quo aut oculi unguem aut venam ſecamus, totum id quod inter angulum eſt, ad abſceſſum usque aperimus: atque inde ex imo carnibus extractis mediocriter exſiccabimus. Reliquam curationem per medicamenta deſcribit Lib. III.

Paræi. 28. Authores hi vetuſtiſſimi adhuc valde confuſe de fiſtulæ lacrymalis curatione ſcripſerunt. *Paræus* vero jam paulo accuratius de ea agit, & præcipue methodum os carioſum adurendi accuratius deſcribit Lib. XVI. C. XV ſequenti modo: Præmiſſis univerſalibus remediis ſi ulcus ſatis non pateat, intruſis ex ſpongia peniculis amplificabitur, glandulæ caro plus æquo increſcens corrigatur immiſſis *pulviſculis cathæreticis, vel potentiali cauterio.* His ſi nihil profectum fuerit, cariesque jam os exedat, & cordatus ſit æger, infigendum eſt *actuale cauterium*, cujus uſus longe efficacior, promptior, certior & præſtantior eſt, quam cauterii potentialis, quemadmodum in multis felici ſucceſſu mihi experiri licuit. Ferrum igitur triangulare parabitur, in extremo acuminatum, quo celerius penetret, oculo ſano & vicinis partibus bene obtectis, capiteque miniſtri manibus ſtabilito, ne in ipſo operis articulo æger perterrefactus ſe commoveat. Oculo vero dolenti lamina ferrea aptabitur in medio depreſſa pro anguli majoris ca-

vitate

vitate. Pervia hæc lamina erit, ut per ejus foramen ferro ignito via ad ſubjectam fiſtulam pateat, ſicque id ſolum quod inurendum eſt, contingatur. *Poſtea vero quid poſt inuſtionem agendum deſcribit, & inſtrumentorum uſtioni appropriatorum delineationem ſiſtit.*

29. Aquapendens in operat. Chirurg. de Ægilope varios curandi modos deſcribit, & in principio curari cum medicamentis poſſe aſſerit, ubi præcipue aquam aluminoſam laudat; at in progreſſu *inſtrumentum excogitavit, quod fiſtuloſum ſinum comprimens* ipſum glutinare ſolet, in tabula B. delineatum. Ubi vero *os vitiatum ſive nudatum* tantum ſit *adurentibus ferramentis* ſuccurendum eſſe cenſet, poſtquam aperturæ ſufficiens dilatatio facta eſt, & in hunc finem olivare ſuum inſtrumentum Tab. D. delineatum reliquis cauteriis præfert, quamvis etiam cum *Paulo deraſoria inſtrumenta* ad os eradendum ibidem deſcribat & commendet: *Quod ſi vero caries os occupavit*, ferramentis candentibus ſtatim eſſe urendum. Sed ſi his omnibus non curetur fiſtula, *terebra os ad naſum usque perforandum* eſſe cenſet, ut pus in nares derivetur; terebram autem exiguam ac tenuem eſſe deſiderat. *Adurentia medicamenta* ſe uſurpare quando ægrotantes timidi ſunt, & ferramentum candens expaveſcunt: & hoc modo curari aſſerit omnem fiſtulam lacrymalem in quocunque ſtatu ſeſe curanda obtulerit, ſola cancroſa excepta. *Fabritii ab Aquapendente.*

30. *Hercules Saxonia Lib. i. Panthei medicinalis C.* 19. *ubi de Ægylope*, ſi ulcus, inquit, in angulo ſit fiſtuloſum, nullus alius eſt curandi modus quam per oſſis uſtionem ac ſquamæ corruptæ ſeparationem: neque credatis quatuor aut quinque uſtiones ſufficere, ut nonnulli practici dicunt, qui forſaſſe hanc operationem nunquam viderunt. Oportet urere locum illum per 20. vel 30. dies continuos, bis aut ter ſingulo die, antequam illa ſquama ſeparetur, quod ego experientia *Herculis Saxoniæ.*

propria

Severini. propria comprobavi. Eadem methodo *M. A. Severinus* (a) plurimos in valetudinario ſe ſanaſſe affirmat, & hinc ſi nudatum aut carie corruptum os apparet, protinus hoc per idoneam perforatam laminam aut fiſtulam adurit. Si vero hæc non ſufficiant, feramento candente naris os perforat, vel etiam acu ſutoria, quam ſubulam vulgo vocant, os naſi pertundit, ut fluxus puris per hanc viam ad nares fiat. *Iſaacus Iſraëlita* L. 9. Pract. Cap. 80. hanc quoque oſſis pertuſionem amplexus eſt, & illud addens, ut peracta ſtatim per candens ferramentum perforatio ſentiatur, obſtruendas antea nares: nam ſi fumus, inquit, per foramen exit, pertuſum os eſſe prodit: quod inprimis propterea faciunt, quia compertum eſt ipſam naturam narem ſæpe perforaſſe, ut per hoc foramen materia purulenta ad nares demittatur, & non per oculorum angulos eluatur. *Hildanus* cauterium actuale contra cariem oſſis quidem non improbat; attamen ablationem cariei *cum pulvere euphorbii* tam feliciter ipſi ſemper ſucceſſiſſe aſſerit, ut cauterio actuali nunquam uſus fuerit, Centur. VI. obſ. 3. Nihil enim in fiſtula lacrymali carioſa euphorbio eſſe præſtantius. *Setaceum* tanti quoque in fiſtulæ lacrymalis cura eſſe momenti, ut inveteratam fiſtulam vix ſine hoc præſidio curari poſſe in aliquibus obſervaverit: Conferatur Cent. IV. obſerv. XIX. & cent. V. obſ. XXII.

Iſraëlitæ. *Hildani.*

Bartiſchii. 31. Vix ullus inter Autores accuratius deſcripſit *methothodum fiſtulas lacrymales cæcas aperiendi*, quam Bartiſchius antiquus chirurgus Germanus in oculorum affectibus curandis exercitatiſſimus atque celeberrimus (b), quam præcipue hic addere conſultum ducimus, quia ex incongrua eius apertione facile ligamentum palpebrarum, vel muſculus orbicularis ita lædi poſſunt, ut maior inde ſubſequatur oculi deformitas, quam fiſtula ipſa erat. Nimirum *ſi tumorem habet fiſtula, inquit, inter oculi canthum & naſum, ſicut ex fig. 7. videre licet*

(a) *Med. Efficaci p.* 294. (b) *in ophthalmoduleia part. IX. cap. XI.*

licet, tunc antequam apertura fiat, accurate conſiderandum eſt per aliquot dies, quo in loco maxima puris copia continetur, ut in Operatione ad hoc attendere queas. Et poſtquam hac de re certus es, per aliquot dies a puris expreſſione abſtinendum, ut cavitas melius repleatur, & tumor eo magis emineat: quo facto oculi ægrotantis claudantur, ne æger videat: poſtea tumor ſcalpello recta non obliqua plaga incidatur, eaque ſatis ampla, ut ad fundum rite inſpici queat. Si vero fiſtula iam aperta eſt, ſed non ſatis ampla, ſpecillum ſulcatum immittatur, & poſtea quantum opus eſt, aperiatur. Hoc facto dilatationem ulteriorem fieri iubet turunda ex radice gentianæ vel rapæ exſiccatæ, deinde cathæreticis vel cauterio fiſtula mundificetur, & poſtea conſolidetur, qua occaſione multa idonea medicamenta deſcribit defendentia, cathæretica; æſtum poſt aduſtionem vel cathæreticorum uſum temperantia, cruſtamque ſolventia, mundificantia, & conſolidantia: nec non medicamenta interna recenſet, ac varia ferramenta hic uſurpanda delineat.

32. *Petrus de Marchettis* in fiſtulæ lacrymalis curatione *Marchetti.* ita procedit. 1) *ſi caries adſit*, fiſtulam ſecat, ac oſſi corrupto cauſticum vel potentiale vel actuale, (quod tamen priori præfert, ſi ægri illud admittant) admovet, fiſtula antea ſatis dilatata: Poſtea oſſi uſto filamenta arida imponit, quousque caro laudabills ab ipſo excreſcat: præmiſſa tamen digeſtione medicamentis propriis; poſtmodum oris vulneris unguentum ex tutia ſarcotici loco propter continuum ichoris fluxum ad angulum oculi applicat, & tandem cicatricem cerato ex diachalcitide inducit, filamentis tenuiſſimis aridis, eaque methodo plures ſe curaſſe aſſerit. Invehitur autem hic vehementer in eos *qui os perforandum eſſe cenſent*, quo materia illa purulenta per nares effluat, eosque graviter erraſſe pronunciat, quod exiſtimaverint perforationem hoc commodum præſtare, ut materia

F per

per nares effluat, cum os inuſtum aut perforatum progreſſu viginti aut triginta dierum circiter abſcedat, & foramen a carne ex eo pullulante, occalleſcente, oſſisque fere duritiem acquirente, obſtruatur. Exiſtimat vero nullum alium eſſe huius perforationis uſum, quam ut os carioſum perforatum & inuſtum citius abſcedat, adeoque tunc tantum inſtituendam oſſis perforationem ſuadet, ſi maxima adſit oſſis corruptio, quæ perveniat usque ad cavitatem internam ipſius naſi, ſola enim eius ſuperficie corrupta aut alterata ſufficere credit partem læſam ſcalpro abraſorio abradere, donec pars cutis coaleſcat oſſi. 2) Quod ſi vero hæc deſit, fiſtulas duobus modis curari poſſe ſcribit, vel inciſione ſola & attritione calli cum generatione carnis; vel 2) abſente callo, per compreſſionem ipſius partis inſtrumento ab Aquapendente deſcripto, aut aliquo alio ſimili.

Solingenii. 33. *Solingen* præmiſſa prius prognoſi de difficili curatione, chirurg. cap. de ægilop. lanceola fiſtulam aperiri iubet, & ſi caries abeſt, medicamenta mundificantia ſyringa iniici, & tandem balſamicis rurſus claudi iubet. Ubi vero caries adeſt, nec apertura externa ſatis ampla, eam vel ſectione, vel ſpongia præparata cathæreticis illita dilatat, poſtea ſingulare ferramentum cum cannula deſcribit, quo locum carioſum inurit, Chirurg. Tab. 3. fig. 26. & 27. id quod etiam adhibendum ſuadet, quamvis oſſa adhuc ſint tecta, pro membrana relaxata & debilitata conſumenda, & tandem deſcribit, quid poſt uſtionem ſit faciendum. Perforationem vero oſſis haud ſuadendam eſſe cenſet.

Charrieri. *Charriere* pro obtinenda huius morbi cura primo immitti iubet per aperturam externam ſpecillum ad cognoſcendum num os ſit nudum vel carie affectum, nec ne? Quod ſi hæc apertura exterior nimis anguſta ſit, dilatare eam iubet per ſpongiam præparatam, vel per inciſionem, addita cautela, ne tendinem muſculi orbicularis palpebras coniungentem lædamus; hoc enim diſſecto oculus indecore hians produceretur.

Facta

Facta inciſione apertura replenda eſt linteis carptis pro abſorbendo ſanguine, & pro dilatandis vulneris oris, ut fundus eo melius in conſpectum prodeat. Si os ſit nudum applicare iubet remedia cariei contraria, ut euphorbium ſpiritui Vini infuſum. Reiicit autem cauteria actualia, iisque potentialia præfert, credit enim horum acrimoniam cum aëris qualitatibus coniunctam pro producenda oſſis tam tenuis exfoliatione abunde ſufficere, adeoque opus non eſſe confugere ad operationem adeo dolorificam, & in qua partes vicinæ puncta præſertim lacrymalia adeo facile lædi poſſint; quomodo vero fiſtulæ lacrymales cœcæ curari debeant, ſilet. *Vauguion* (a) & *Le Clerc.* (b) pro curanda fiſtula lacrymali inciſionem inſtituunt *Vauguion & le Clerc.* in forma lunæ cornutæ in ipſo tumore, evitando diſſectionem ligamenti palpebrarum: poſtea dilatant vulnus, &, ſi caries adeſt ferramentum candens applicari iubent per cannulam oſſi carioſo, & perforationem oſſis unguis inutilem eſſe cenſent, quia ob tenuitatem ſponte caderet, & ſic meatum ad nares relinqueret.

34. *Verduc* (c) quatuor ſpecies fiſtulæ lacrymalis ſtatuit, *Verduc.* quarum primam ſine exulceratione & ſine obſtructione ductus naſalis eſſe ponit, ſed ſaccum lacrymalem diſtentum & liquidum effluens pellucidum, id quod nos oculum lacrymantem appellavimus, quam ligatura vel inſtrumento ſaccum lacrymalem comprimente ſæpe ſanari aſſerit; ſed quando hoc non procederet, tumorem eſſe aperiendum, ut poſtea accedente cicatrice ſaccus lacrymalis fiat anguſtior, & ſic perforationem oſſis unguis non eſſe neceſſariam. In ſecunda ſpecie ſaccum lacrymalem ſive canalem naſalem eſſe obſtructum, ſed non exulceratum, quæ rurſus nobis ſpecies oculi lacrymantis; hinc os unguis perforandum eſſe, ut lacrymæ ad nares tranſire queant; cauſticis vero non opus eſſe, quia ſaccus lacrymalis neque exulcera-

 tus

(a) *Traité des operations de chirurgie p. 338.* (b) *Chirurgie complete chap. de la fiſtule lacrymale.* (c) *Traité des operations de Chirurgie.*

tus neque calloſus. In tertia ſpecie ſaccum lacrymalem eſſe exulceratum, ſed tubulum naſalem non eſſe obſtructum: hinc haud requiri oſſis unguis perforationem, ſed cauſticis tantum partes corruptas eſſe conſumendas. In quarta ſpecie cum ſacco lacrymali exulcerato ſimul adeſſe obſtructionem canalis naſalis; in qua perforationem oſſis unguis abſolute eſſe neceſſariam ſtatuit, & poſt hanc corrupti deſtructionem. Ferramento candente non opus eſſe exiſtimat, niſi in talibus fiſtulis ubi caries profundius penetravit. Inciſionem non in forma lunata fieri vult, ſed in linea obliqua, incipendo ſub angulo maiore, finiendo in oſſe unguis, longitudine dimidii pollicis.

Dionis. 35. *Dionis* in fiſtulis cœcis ſufficere aſſerit impedire collectionem puris in ſacco lacrymali, id quod fieri poſſe putat ſola compreſſione, qua multos & inprimis infantes curaſſe aſſerit, ſi per aliquot menſes ea continuatur, ſicuti hanc methodum prolixius deſcribit. Si fiſtula externe aperturam habet, eam primo dilatandam eſſe usque ad fundum,& poſtea cum unguento Apoſtolorum, Ægyptiaco aut pulvere Mercurii mundandum, ſi os carioſum, applicandum eſſe oleum Vitrioli vel ſulphuris cum carptis, ſed quoniam omnes Practici, ut ait, certiſſimum & citiſſimum fiſtulæ lacrymalis remedium ferrum candens exiſtere exiſtimant, modus vero illud applicandi difficilis, hinc prolixe deſcribit quomodo rite fieri debeat, quod vero cui lubet, ex ipſo Autore peti poteſt (a). Vnicam tantum eius cautelam addemus, quod aſſerat ſeparationem oſſis carioſi poſt aduſtionem non ſemper eſſe perceptibilem, ſed quod facta colligi queat ſatis probabiliter ex firma carne ab oſſe proveniente: quæ ſi obſervetur, cicatricem tuto induci poſſe.

Stahlii. 36. Illuſtris *Stahlius* primarius nunc Regis Boruſſiæ Archiater, in obſervatione de fiſtula lacrymali diſſertationi de Oculorum affectibus 1702. Halæ Saxonum editæ annexa, ſatis egregie

(a) *Chirurgie de la fiſtule lacrymale.*

gie non ſolum demonſtrat veram conſtitutionem fiſtulæ lacrymalis huc usque non ſatis innotuiſſe, & hinc multos errores graves in curatione commiſſos fuiſſe, ſed etiam præmiſſa brevi hiſtoria de generatione fiſtulæ lacrymalis, oſtendit, quod purulenta excretio in hoc affectu non per caruncculam lacrymalem in oculum effundatur, ſed quod illa unice atque ordinario, ex ita dicto ſuperiori puncto lacrymali prorumpat. Hoc foramen, pergit, continuo ductu tendere ad canalem membranacum capacem, qui ſecundum longitudiuem narium deorſum procurrens, paulo inferius quam ubi cartilago narium ab oſſea ſubſtantia procedit, in ipſas nares dehiſcit. De hoc quidem ductu, quantumvis etiam alterum ita dictum lacrymale punctum ad eundem pergat, eique inſeratur, notatu tamen dignum eſſe, aſſerit, quod nondum obſervare potuerit, quicquam huius materiæ in hoc affectu per inferius punctum lacrymale emitti. Facile iam eſſe iudicatu, quid intruſio medicamentorum, (præcipue cathæreticorum) imo turundarum, in angulum oculi commodi vel incommodi imo damni inferre apta nata ſit. Unde oblato ipſi huiusmodi caſu in fœmina 40 annorum, quæ iam per triennium a balneatore ipſis usque cathæreticis audacius exercitata fuerat, ut non ſolum graves oculi, imo ipſius genæ dolores, ſed tanto vehementiores capitis cruciatus, aliquoties & odontalgici hemicranici acciderent (pro quo ſymptomate tollendo, non ſolum abſumti dentis unam & alteram reſiduam radiculam, ſed duos inſuper illæſos molares ipſi evulſit) propterea diverſæ methodo inſiſtere neceſſarium duxit. Præparato itaque corpore (quales etiam medicationes ſub ipſa cura, quando neceſſarium videbatur, iterabantur) & *explorato prius per ipſum illud punctum lacrymale mediante chorda chelyos cera in apice imbuta flexu illo*, quo ad ſinum usque ſeu communem capacitatem ipſius primarii ductus ſeſe recipit, id quod facile tole-

rabat patiens, & diſtinctis ſanguiferis in hac perſona conſpicuis vaſis, inciſionem, directa cultelli cuſpide oblique ab oculo verſus naſum, fieri curavit, ad os usque naſi penetrando; quam, ubi nimis latam adornare non convenerat, turunda dliatari fecit: & impoſitis dehinc eximie mundificantibus balſamicis, donec fundus, qui initio nigricabat (nempe ex aliqua carie illius ſuperficiei oſſis narium) æque atque totus ambitus inciſionis, legitime mundificatus compareret, neque ullo modo ad & per punctum lacrymale quicquam ſaniei ad oculum amplius propelli poſſet, (quod primis duabus ſeptimanis adhuc eveniebat obligato vulnere). Tunc demum ſucceſſive & e fundo extrorſum, breviore indies turunda, conſolidari permiſſum hoc foramen: Adhibita denique trochlea compreſſoria, proportionate, prout ipſa cicatrix coibat, ad maiorem indies compreſſionem adducta, & ſic hac methodo hoc malum integre ſublatum, ægraque ita reſtituta, ut in ſeptimum iam annum ab hoc pathemate immunis vivat. In hoc caſu præcipue notamus, 1) quod illuſtris Autor puris effluxum non e caruncula, ſed per punctum lacrymale, (quamvis ſolum per ſuperius vidiſſe aſſerat) effluere annotaverit, 2) quod primus fuerit, qui in vivente ſtylum per punctum lacrymale immiſerit in ſaccum lacrymalem: Attamen propterea Anelli operatio merito nova dici poterit, quia hic ſpecillo ductum lacrymalem denuo reſeravit.

Antonii Maitre Jan 37. *Antonius Maitre-Jan* (a) præmiſſa curatione anchilopis inflammatorii & atheromatici ſatis egregia, methodum deſcribit fiſtulas lacrymales ſanandi, & primo *in fiſtula in cute aperturam habente*, *ſatis patente*, *ſine callo aut carie*, præmiſſis univerſalibus, ulcus mundificantibus tractat; ſi vero apertura nimis anguſta, dilatanda vel ſpongia præparata aut radice gentianæ vel ſectione, prout opportunum cenſetur. *Si calloſa*, callum trochiſcis de minio tollit, vel ☿io præipit. rubr. & alu-

(a) *Maladies de l' oeil part. III. chap. IV. & V. pag. mihi* 458.

& alumine uſto. *Si os carie* affectum, locus rite detegendus, & ſi caries pauca, globulus ex carpto paratus, & ∽u ⊕li vel 🜍is imbutus ipſi imponatur, reliquum carpto ſicco repleatur, & ſic per tres vel quotuor deligationes proceditur, ac poſtea tantum ol. guajac. vel Eſſ. myrrh. & aloës cum 🜈 parata, vel 🜈 camphorat. imponatur, donec corruptum ablatum ſit: quo facto ulcus mundificatur, exſiccatur & cicatrice obducitur. Receſſum vero lamellæ carioſæ in oſſe unguis fieri non poſſe monet ſicut in aliis oſſibus, ob ſummam eius tenuitatem, ſed partem coruptam totam cadere, & ſic aperturam ad nares fieri, per quam quidem lacrymæ poſtea in nares influerent, ſed ſine incommodo ægri. Quando autem caries altiores egit radices, ut medicamentis tolli nequeat, opus eſſe ut ad ignem tanquam ad extremum remedium accedamus, inprimis ſi in cavitate ſimul exoſtoſis reperiatur. Methodum poſtea adurendi os pag. 463. pulchre & prolixe deſcribit, quæ digna eſſet, ut tranſcriberetur, verum brevitatis cauſſa lectorem, qui eam noſſe deſiderat, ad ipſum Autorem relegamus; hoc tantum addentes, quod afferat os unguis in aduſtione ob tenuitatem ſuam ferramento candente ordinario perforari ad nares, & foraminis oras membrana obcingi, & ſic ex fiſtula externa fieri internam, quæ parum vel nihil incommodi crearet, ſed lacrymis & puri tranſitum ad nares concederet. Si vero os maxillare eſt carioſum & aduritur, lamellam corruptam tandem decidere, ſicut in aliis oſſibus carioſis, deinde fiſtulam mundari & conſolidari, ut antea. *Sed ſi fiſtula externe nullam habet aperturam*, ſive pus per canthum oculi, ſive per naſum evacuetur, inciſionem ſive aperturam fiſtulæ abſolute eſſe neceſſariam aſſerit, inprimis ſi ſanies acris & nigricans effluit, quæ præter ſacci lacrymalis exulcerationem cariem plerumque indicat. Aperturam vero lanceola fieri iubet, non cauſticis, quippe a quibus oculus ob viciniam facile lædi poſſet. Apertura facta, ſi caries abeſt,

abeſt, tractatur methodo ſupra deſcripta : ſi vero adeſt, hæc, prout modo dictum eſt, tollenda.

Palſyni. 38. Denique adhuc methodum *Palſyni* Chirurgi & Anatomici Gandavenſis hic recenſebimus, quam in chirurgia ſua Lugduni Batavorum 1710. ſermone belgico edita deſcripſit pag. 324. quam vero pro morbi varietate vario modo aggreditur, & deſcribit quatuor ejus ſpecies eadem prorſus ratione ut Verduc §. 34. & quidem 1.) Ubi canalis naſalis adhuc apertus & ſaccus lacrymalis non exulceratus, ſed tantum relaxatus & liquidum perlucidum, (id quod oculum lacrymantem vocavimus) ſæpe inſtrumento compreſſorio Fabritii, aut alio ab Autore delineato Tab. IX. ad Fabritii fere modum fabricato curatur, inprimis ſi fruſtulum ſpongiæ liquido adſtringente imbutum imponatur prius tumori cum lamina plumbea. Si vero curatio ſic non ſuccedit, cum Verduccio tantum tumorem aperiri jubet, eumque poſtea rurſus conſolidari, & ſic ſperat ſaccum lacrymalem per cicatricem ad naturalem anguſtiam denuo contractum iri, perforationemque oſſis lacrymalis non requiri. In ſecunda vero tertia & quarta ſpecie omnino convenit cum Verduccio, nihilque notabile ſuperaddit, niſi delineationem & deſcriptionem inſtrumentorum perforationi & aduſtioni inſervientium, Tab. IX. fig. 2. & 3. modumque deſcribit, quomodo ferramento candente non ſolum aduſtio ſed etiam perforatio fieri poſſit; cui vero methodo quia valde dolorifica, atque etiam non prorſus ſine periculo, perforationem ſine igne inſtrumento ſuo fig. 2. delineato præfert. Tandem rationes addit, quare hæ operationes, optimis quamvis cautelis peractæ, tam ſæpe fruſtraneæ ſint, & ſic cum pleriſque Autoribus conſentit fiſtulam lacrymalem morbum eſſe curatu difficilimum.

Methodus. Anelli his omnibus præſtat. 39. Et hæ deſcriptæ Autorum præcipuorum methodi ſufficere poſſunt, ut hactenus uſitatæ medicandi rationes hu-

ius

jus morbi inde cognoſci & cum Anelliana conferri queant, & ut ſic huius præ illis præſtantia rite pateat, quam propterea prolixius demonſtrare ſupervacaneum cenſemus. Sed potius quia iam prolixior noſtra facta eſt diſſertatio, atque in maiorem molem excreſcit, quam ab initio putavimus, ad obiectiones adverſariorum perpendendas nos accingimus, in quibus adhuc multa occurrent, quæ præſtantiam atque utilitatem eius præ hactenus uſitatis methodis evincent: tantum obiter adhuc hic monentes, quod omnes veterum methodi, ut ſectio, raſio, perforatio aut aduſtio oſſis, compreſſiones & cathæreticorum uſus, ubi canalis naſalis obſtructus erat, non ſufficere potuerint, niſi perforatio naſi accederet, & hinc tam ſæpe eas fruſtra adhibitas fuiſſe; ſed tantum in iis, ubi tubulus lacrymalis non obſtructus erat, ſive exulceratio fuerit in ſacco lacrymali, ſive extra illum, quas ægilopes vocavimus. Facile etiam eſſet defectus cuiusvis methodi uſitatæ tam recentiorum quam veterum hic deſcribere, ſed quoniam hos unicuique attento Lectori ex collatione ſatis patere exiſtimamus, propterea iis recenſendis tempus non perdemus. Denique quod multæ ex his multum crudelitatis foveant, & vix ſine horrore perfici queant, etiam nobis tacentibus, ultro apparet: imo quod chirurgi intempeſtive ſæpe ad tam ſæva remedia confugerint, nosque iis vix vel rariſſime amplius hodie indigeamus, fauſta experimenta nobis perſuadent.

Cap. VI.

De Adverſariis & obiectionibus contra hanc novam methodum.

40.

Commune ſemper a memoria hominum novorum inventorum fuit fatum, ut mox ſuos patronos & defenſores

habuerint, moxque ſuos adverſarios ſibi concitaverint, ſicuti circulatio ſanguinis, uſus chemiæ & Matheſeos in Medicina, uſus Mercurii in morbis venereis, chinæ chinæ in febribus, cataracta aliaque abunde teſtantur. Idem iam circa pulchrum ac ſalutare hocce inventum Anellianum fiſtulas lacrymales blandiſſima ac citiſſima ſanandi methodo contingit; ubi inventor noſter poſtquam non ideas, ſpeculationes aut problemata propoſuerat, ſed iam experimenta facta felicesque huius novæ methodi eventus deſcripſerat, tamen tam iniquos cenſores & adverſarios adeptus eſt, qui hanc methodum impoſſibilem, chimericam, fictitiam, violentam, crudelem, pernicioſam, imo ſumme noxiam proclamare auſi ſunt, ut fere metuendum ſit impoſterum aliquid novi aut utilis cum publico communicare, ſi tam iniqua fata ſubire debent, (ſicuti etiam D. Præſes cum tractatu ſuo de Cataracta experiri cogitur). Illorum adverſariorum alter Italus fuit Chirurgus Genuenſis *Franciſcus Signorotti*; alter ocularius Pariſienſis perquam celebris cujus vero nomen *Anellus* ob certas ſuas cauſas celat.

Primus adverſarius ſignorottus.

41. Examinemus horum obiectiones, & perpendamus an tanti ſint momenti, ut nova hæc Anelli methodus ſicuti volunt, reiiciatur, atque oblivioni rurſus committatur. Prior peculiare ſcriptum Italico ſermone concinnatum edidit, quod libello famoſo (pasquille vulgo) ſimilius eſt quam diſceptationi inter viros honeſtos uſitatæ, cuius inſcriptio eſt: *Informazione fatta dal Chirurgo Franceſco Signorotti contra Monſu Anel*, ſive informatio Franciſci Signorotti contra D. Anellum &c., in quo, tumido, inflato, ridiculo, allegorico ac prorſus inuſitato ſtylo, profecto non tam veritatem rei inquirere voluit, ſed potius non niſi famam atque exiſtimationem Anelli obfuſcare, hominibusque horrorem & averſionem contra novam hanc methodum excitare anniſus eſt, atque varias obiectiones inanes protulit, quas iam examinare & deſcribere aggredimur,

ut

ut veritas, quæ impugnata ſemper certior & clarior evadit, iam quoque certior fiat, & magis magisque confirmetur.

42. Primo *impoſſibilem & chimaricam eſſe Anelli methodum probare conatur ex eo, quod puncta lacrymalia exigua nimis ſint & imperceptibilia, lynceum viſum ea non poſſe percipere, ideoque ob exigitatem etiam neque ſpecillum, multo minus ſiphonem immitti poſſe.* Sed ad hoc reſpondemus, puncta hæc quidem eſſe valde exigua, attamen non adeo exigua, ut imperceptibilia ſint, aut omnem viſum effugiant: nam quilibet facile in homine vivo & cadavere ea obſervare poteſt, quamvis non exquiſitiſſima viſus acie aut viſu lynceo inſtructus ſit; probant enim hoc *Galeni*, *Fallopii*, *Stenonis*, *Bartholini*, *Rolfincii* teſtimonia, qui ea iam noverunt, & ſine dubio viſu cognoverunt: probant hoc etiam omnes hodierni Anatomici; probat hoc quotidiana experientia, ita ut opus non ſit parvitatem eorum nimis quam par eſt extenuare & diminuere. Quod autem ſpecillum & ſiphunculus in homine vivo in hæc puncta immitti queant, multis quidem primo intuitu inane cerebri figmentum, luſus rationis aut conceptus tantum idealis videri poterat, qui quidem fingi ſed perfici vix poſſit, & multis adhuc ita videretur, niſi experientia comprobatum ac demonſtratum eſſet. Verum ſi conſideramus poſſe in cadaveribus ſetas porcinas aut tenuia fila ænea immitti, non tantopere pro re impoſſibili, quæque in vivo fieri non poſſit, habenda erit; cumprimis, quod argumentum eſt præcipuum, quia utramque hanc operationem ſæpius in eadem illa urbe Genua ſcilicet, ubi Signorotti degit, in Illuſtriſſimo *Abbate Fieſchi*, quem ipſe *Signorottus* & tota urbs ſatis novit, præſentibus variis Medicis & Chirurgis, teſtibus oculatis, perfecit, quorum omnium ut & Reverendiſſimi Abbatis adiecto authentico teſtimonio novam hanc methodum primum publicavit, qui hoc non feciſſent, niſi operationes hæ fuiſſent peractæ & *Obiectio eius prima.*

 æger

æger eis curatus, ideoque puncta lacrymalia non tantum videri, ſed etiam ſpecillum & ſiphunculum immitti poſſe hoc ipſo demonſtratum eſt. *Urget vero Signorottus ſe operationi huic non interfuiſſe*, eamque non vidiſſe, & propterea ſe non credere eam factam eſſe: verum infirma eſt hæc obiectio, quia æger ipſe & Medici atque Chirurgi præſentes eam factam eſſe teſtantur, atque nimis inepte tantos viros in re ſatis comperta mendacii arguit.

Obiectio altera.

43. Altera objectio eſt *quod Anelli methodus nimis ſit crudelis, & hactenus uſitatis violentior.* Verum quam plurimi Medici & Chirurgi literis ſuis Anelli libro inſertis teſtantur, utramque operationem ſine notabili dolore non tantum in Abbate prædicto, aliisque e ſexu potiori hominibus, ſed etiam in delicatiſſimis corporibus ſubtiliſſimarum & quam maxime ſenſibilium fæmellarum fuiſſe peractam. Ita enim in puella decem annorum coram Sereniſſima Ducis Sabaudiæ matre, horumque Archiatris & chirurgis ſine notabilis doloris indicio fuit inſtituta, & deinde etiam in ipſa prædicta Sereniſſima Principe, quæ ſi quæ alia, tenerrimæ & maxime ſenſilis conſtitutionis à Medicis ejus pronunciatur, & tamen in ea ſine ſenſu doloris feliciter fuit peracta. Ideoque Signoretto minime credendum, quod hactenus uſitatæ curandi methodi faciliores ſint & minus dolorificæ. Summam quidem his partibus *Signorottus* adſcribit ſenſibilitatem, & hanc ob cauſam methodum Anelli tum impoſſibilem, tum crudelem eſſe publico perſuadere conatur; verum cum omnium rerum optimus magiſter experientia contrarium demonſtret, cur ſenſibilitatem illarum tantopere exaggerare & plus augere vult, quam revera exiſtit? Eſt quidem canalis ſatis ſenſilis, verum non eſt tam exquiſiti ſenſus, ut ſpecillum & ſiphunculum ſatis ſubtilem non admittat, quia ſæpe jam peractum eſt, factum enim infectum fieri nequit à *Signoretto*. Ulterius vero crudelitatem inde probare con-

contendit, quod *Anellus* ſcribit in prima canalis naſalis perforatione *in Abbate Fieſchi*, parum ſanguinis in nares deſtillaſſe, & hanc ob cauſam hanc operationem crudeliſſimam proclamare allaborat. Sed quis erit chirurgus adeo timidus, qui operationem quandam pro crudeli habere, aut omnino rejicere atque inutilem cenſere velit, ubi una alterave guttula ſanguinis profunditur? annon ſecundum vulgarem methodum, ubi ſectio adhibetur, plus ſanguinis profunditur, aut ubi perforatio vel ipſa uſtio oſſis lacrymalis perficitur, plus crudelitatis adeſt? quam tamen *Signorettus* defendit.

44. III. *Hanc operationem periculoſam eſſe & noxiam.* Verum partim ex reſponſione objectionis ſecundæ hoc refutatur, quia iter lacrymarum, in quo hæc operatio perficitur, eſt canalis membranaceus oſſibus cinctus, in quo a prudenti chirurgo vix periculoſa læſio fieri poteſt; neque unquam grave quoddam ſymptoma ſupervenit in omnibus, in quibus hanc operationem inſtituit *Anellus*, ſicuti omnia graviſſimorum Medicorum teſtimonia in libro *Anelli* proſtantia diſertis verbis affirmant, & D. Præſes idem hucusque in quatuor fiſtulis lacrymalibus verum eſſe obſervavit. Comparat præterea hanc operationem Anellus eleganter cum catheteriſmo, & punctura perinæi in Urinæ ſuppreſſione. Notum eſt in urinæ ſuppreſſione, ubi medicamentis nihil effici poteſt, fiſtula quadam, catheter dicta, in veſicam immiſſa, hoc malum ſæpe feliciter curari, & obſtructionem in urethra aut ſphinctere veſicæ tolli: Verum in ſimili caſu urinam etiam educi poſſe per aliam operationem, ſed longe periculoſiorem, puncturam perinæi dictam: quippe in hac novum vulnus excitatur, in illa non, ſed cauſa tantum obſtructionis removetur, & naturalis via reſtituitur. Punctura omnium ſuffragio eſt operatio vehementior, periculoſior: catheteriſmus vero blandior & ſecurior; quis itaque non præferet catheteriſmum puncturæ. Sic dum operatio *Objectio tertia.*

Anelli verus catheteriſmus eſt itineris lacrymalis, quo obſtructio ejus tollitur, ſicut ille itineris urinæ, veterum vero operatio in fiſtula lacrymali eſt nova punctura, nova ſectio, nova oſſium perforatio, quis non Anelli methodum ſecuriorem, blandiorem, minus violentam, minus periculoſam, minusque crudelem agnoſcet, quam vulgarem ſive hactenus uſitatam? Imo crudelitatem eſſe exiſtimamus veterum methodum adhibere, ubi recens ſufficere poteſt.

Obiectio quarta. 45. IV. *Hanc operationem non eſſe novam, ideoque nec Anellum ejus eſſe inventorem objicit, quare? quia Anatomici, quorum varios citat, ſæpe ſetas & fila ænea in has partes immiſerint, & chirurgi jam diu uſum ſyphonis ſciverint, adeoque Anellum inventionis gloriam immerito ſibi vindicare.* Verum ℞. adverſarium hic ſibi ipſi contradicere, dum antea, §. 42. aſſeruerat puncta lacrymalia neque videri, neque operationem talem fieri poſſe, quod vero hic neceſſario concedit, quia aſſerit & probat alios jam tum ſetas in puncta lacrymalia immiſiſſe. Verum inde non evincit, quod *Anellus* non ſit inventor novæ methodi fiſtulas lacrymales ſanandi. Nam Anatomici hactenus tantum ad demonſtrandos ductus lacrymales ſetas inimiſerunt, idque in mortuis non in vivis; nullus autem fuit qui ſetas aliaque inſtrumenta in ea adegerit ad ductum lacrymalem deobſtruendum, ideoque Anellus eo ipſo certe novam operationem chirurgicam invenit & peregit, quam nullus ante eum vel tentavit, vel deſcripſit, imo non ſolum hanc, ſed etiam tam ſubtilem ac concinnum ſiphunculum excogitavit ac fabricari curavit, quem in exigua illa foraminula immittit, & apto liquido injecto ulcera ſacci lacrymalis detergit, mundificat & ſanat, quod alii ante ipſum auſi non fuerunt. Ideoque merito inventor novæ fiſtulas lacrymales ſanandi methodi eſt habendus, eique ut juſtum eſt, inventionis gloria tribuenda.

46. V. *Hanc methodum ſi procederet recidivæ eſſe obnoxiam, ideoque inutilem & rejiciendam.* Verum reſpondetur 1) in genere vix ullum eſſe morbum, de quo Medicus aut Chirurgus certo ſpondere poſſit, quod non aliquando recrudeſcere queat, hinc nec in ſpecie exigi illud poteſt de hac methodo in fiſtula lacrymali; nemo enim in uſitatis hactenus methodis poſt tot peractos labores, poſt omnia exantlata tormenta & cruciatus de recidiva ſpondere potuit, ſed potius multis vicibus omnis medela inanis fuit: ideoque cum hoc omnibus curationibus commune ſit metuendum fatum, dignitati hujus novæ operationis nihil derogare poteſt, nulla vero eſt ratio, quæ demonſtret hanc methodum magis aut facilius, quam vulgares recidivæ eſſe obnoxiam; contra in aliis methodis quamvis apertura fuerit facta, exulceratio mundata & ſanata, caries vel medicamentis vel ferro ſublata, nulla vero via in nares facta, neceſſario, vel ſaltem utplurimum redibit malum. *Objectio quinta.*

47. VI. Objicit *Signorettus*, *morbum Abbatis non fuiſſe fiſtulam lacrymalem*, nam 1) nullam fiſtulam conſiſtere in obſtructione, alias ani obſtructio a fœcibus dicenda quoque eſſet fiſtula ani, quod vero aſſerere eſſet ridiculum, ideoque & obſtructionem canalis naſalis non eſſe fiſtulam, verum fiſtulam conſiſtere in ulcere profundo, amplo, calloſo, cum vel ſine carie. Ergo Anellum fiſtulas non curaſſe. ℞. Anellum nusquam aſſerere, quod fiſtula lacrymalis ſit obſtructio canalis naſalis, ſed quod conſiſtat in ulcere ſacci lacrymalis, orto plerumque ex obſtructione canalis naſalis, tanquam cauſa, ideoque *Signorottus* ſimile ſuum vel inſtantiam de obſtructione ani valde inepte & ridicule huc transfert. Quoniam vero lacrymarum & puris tranſitus ad nares eſt abolitus multis in fiſtulis, atque *Anellus* per reſerationem ductus naſalis fiſtulas lacrymales ſanat, neceſſarium eſt obſtructiones tales adeſſe, quod *Objectio ſexta.*

non

non ſolum per multa experimenta; verum & multorum Authorum ſuffragiis(a) jam probatum eſt.

Objectio ſeptima. 48. VII. Majoris vero momenti eſt objectio ſequens. Nimirum prædictum *Abbatis morbum non fuiſſe fiſtulam*, 1) *quia externe nullus tumor apparuit*, ad fiſtulam vero requiri, ut ſit ulcus profundum, calloſum; hic autem quia tumor nullus apparuit, ulcus, non potuiſſe eſſe profundum aut amplum, ergo non fuiſſe fiſtulam, 2) *ad fiſtulam aut ulcus requiri puris effluxum;* In Abbate vero non pus, ſed materiam tantum ſeroſam, lentam, craſſam, viſcidam, fœtidam effluxiſſe, ſicut medici Abbatis in deſcriptione hujus caſus aſſerunt, 3) *non adfuiſſe callum.* ℞. ad primum externam intumeſcentiam non eſſe neceſſarium requiſitum fiſtulæ lacrymalis, quia non omnes fiſtulæ ſive aliæ ſive lacrymales ſint, intumeſcunt, ſicut hic Altorfii quoque veras fiſtulas lacrymales verum pus fundentes vidimus, in quibus tamen nullus tumor ſenſilis externus conſpiciebatur: poteſt enim ſinus verſus orbitam ſive introrſum quandoque ſe extendere. Ad alterum vero *quod non verum pus effluxerit* ℞. hoc ipſum quoque in aliis ulceribus & fiſtulis ſæpe accidere, ut ichorem, ſaniem, materiam ſeroſam, craſſam, lentam, viſcidam ſive pituitam loco veri puris plorent, imo *Celſus* Lib. VII. C. VII. 7. claris verbis indicat, pus in fiſtula lacrymali, non ſemper ad eſſe, ſed pituitæ præter naturalis effluxum ad fiſtulam lacrymalem conſtituendam ſufficere, dum inquit: *Etiamnum in angulo, qui naribus propior eſt, ex aliquo vitio quaſi parva fiſtula aperitur, per quam PITVITA aſſidue deſtillat:* αἰγίλωπα *Græci vocant:* annon hæc ſatis conveniunt cum materia huius fiſtulæ. Imo *Anellus* in deſcriptione huius morbi, dum

(a) *Charriere Chirurg. Cap. de fiſtula lacrymal. Nuck. l. c. Verduc. Pathol. Chirurg. Palfyn. Chirurg. Cap. de fiſtula lacrymali, imo omnes, qui perforationem oſſis unguis admiſerunt, ſi non explicite tamen implicite obſtructionem ſtatuerunt, nam ſi obſtructio non adeſſet, quid opus eſſet nova apertura vel perforatione.*

dum quam accuratiſſime illum examinaverat, aliquoties aſſerit, quavis hora (minima facta compreſſione) materiam purulentam in magna ſatis copia, coloris flaveſcentis, partim viſcoſam & partim ſeroſam fœtidam effluxiſſe. Accedit, quod ipſi illi medici & chirurgi hunc morbum pro fiſtula lacrymali habuerint: quo enim meliori nomine talis morbus, in quo materiæ purulentæ, flaveſcentis, ſeroſæ ac fœtidæ larga copia ſæpe in die, idque per tres annos ex angulo majori exprimi potuit, inſigniri debeat, neque ex veteribus, neque ex recentioribus Autoribus demonſtrari poteſt. Neque 3) *calloſum eſſe ad fiſtulæ eſſentiam neceſſario requiritur*, quia ſæpe ulcus profundum recens, v. g. ad anum, fiſtula ani appellatur, etiamſi non mox callus (ſaltem notabilis) adſit, inprimis cum in tam exiguo ulcere, in partibus adeo tenuibus ac ſaccus lacrymalis exiſtit, callus niſi valde inſignis haud facile percipi queat: imo forte etiam callus hic adfuit, cum raro ulcus ſit adeo inveteratum ſine callo, attamen valde ſubtilis & haud perceptibilis, nam calli habent ſuos gradus, ut alii morbi. Præterea *Anellus* poſtea tales quoque curavit fiſtulas, in quibus tumores externi, pus verum & levis callus aderant, iisque non obſtantibus ſua methodo fiſtulas lacrymales ſanavit. Ulterius oſtendere laborat adverſarius morbum Abbatis non fuiſſe fiſtulam lacrymalem, *quia Anellus aſſerit materiam per puncta lacrymalia effluxiſſe*, cum tamen Autorum conſenſu pus in fiſtula lacrymali e cantho ſive angulo majore effluat. ℞. Autores hunc effluxum olim non ſatis accurate annotarunt, ſed ſufficere putarunt, ſi angulum majorem, quippe in quo puncta lacrymalia ſita ſunt, indicarent, idcirco *Anellus* non eſt contra Autorum aſſertum, nam quicquid per puncta lacrymalia effluit, illud ex angulo majore effluit, & tantum accuratius illius effluxus locum notavit, nosque id conſtanter & perpetuo, ut *Anellus* deſcribit, verum eſſe in quinque oculis obſervavimus; ideoque hæc differentia tanti non eſt, ut

H hos

hos morbos , ubi purulenta vel alia præternaturalis materia è punctis lacrymalibus exprimitur, à fiſtula lacrymali excludat, quamvis etiam tales forte reperiantur, ubi per præternaturale foramen ad carunculam effluat. Neque clariſſ. *Mangetus* Biblioth. Med. Pract. Lib. VI. Tit. de fiſtula lacrymali, dubitavit fiſtulam lacrymalem appellare morbum Lauſannæ in muliere obſervatum, in quo pus juxta angulum majorem congeſtum compreſſione digiti per punctum lacrymale velut per ſiphonem exibat. In quo etiam conſentiunt *Fallopius* §. 19. & *Stahlius* §. 36. locis citatis.

Objectio Octava.

49. VIII. Objicit adverſarius *verum pus nimis craſſum eſſe, quam ut per ſubtilia puncta lacrymalia tranſire queat, adeoque in fiſtulis lacrymalibus veris pus per puncta lacrymalia exire non poſſe.* ℞. 1) Refellitur hoc per experientiam (§. 48.) 2) ex ratione, nam perpetuo diluitur à liquido oculorum ideoque fluxile redditur, ut tranſire poſſit. Videmus præterea in proſtatis preſſis liquidum craſſum per exigua quoque foraminula tranſire, quidni & hic per foraminula magis conſpicua?

Objectio nona.

50. IX. Si hæc operatio fieri poſſet, *ſetam porcinam operationi magis eſſe idoneam*, novumque Anelli ſpecillum nullius eſſe valoris. ℞. Minime ſufficere ſetam, quia non ſatis habet roboris, ut ſufficientem preſſionis impetum ſuſtinere queat: idcirco robuſtius magisque idoneum inſtrumentum excogitandum erat, cumprimis quia nec requiſita figura ſive inflexio ſetæ dari poteſt, neque apex ejus ſatis politus ſed inæqualis exiſtit.

Objectio decima.

51. X. Hæc ſunt quæ in prima parte Tractatus *Anelliani* occurrunt; in altera parte, quam ſupplementum vocat methodi novæ curandi fiſtulas lacrymales, non ſolum novis objectionibus Signorotti in altero ſimili fere priori libello editis reſpondet, ſed etiam quamplurima ad illuſtrationem & confirmationem

nem novæ methodi facientia cum teſtimoniis celeberrimorum medicorum ac chirurgorum Italiæ & Galliæ cum publico communicat. Quod vero *Signorottus* in altero libello objicit, eſt rurſus *contra novitatem inventi*, *quo honorem inventionis Anello demere & celeberrimo Mangeto* tribuere contendit, ex eo, quod, ut ſupra (48) notavimus, obſervaverit in fiſtula lacrymali pus e puncto lacrymali effluere. Verum *Anellus* demonſtrat hanc obſervationem oſtendere tantum, quod *Mangetus* quoque obſervaverit puris effluxum ex puncto lacrymali, ſed hoc non eſſe novam operationem chirurgicam, aut novam methodum fiſtulas lacrymales curandi: deinde etiam producit literas ipſius *Mangeti*, quibus Anello de novo ſuo invento gratulatur, ipſique ſoli lubens inventionis gloriam impartit, nihilque ſibi competere profitetur: unde *Signorottus* manifeſtiſſime confunditur, & inconſtantiæ ac malitiæ convincitur. Si *Signorottus* obſervationem *Stahlii* ſupra deſcriptam ſciviſſet, plus forte rumoris feciſſet, quia hic nonſolum puris effluxum è puncto lacrymali annotavit, ſed etiam filum æneum per punctum lacrymale in ſaccum lacrymalem immiſit. Attamen nec *Stahlius* gloriæ Anellianæ aliquid detrahere contendet.

52. XI. Adverſarius *callum pro unica & perpetua obſtructionis, quæ in fiſtula lacrymali eſt, cauſa ponit*, *hanc vero ſpecillo perforari non poſſe*, *ergo methodum Anelli eſſe inutilem*. Sed ℞. hoc falſum eſſe, quia experientia conſtat, multas jam obſtructiones tubuli naſalis reſeratas fuiſſe, eoque fiſtulas ſanatas, & forte raro tales exiſtere obſtructiones, ubi tantus ibi adeſt callus, ut reſerari prorſus nequiret. Conferri poteſt Anelli pars II. p. 209. & ſeqq. **Undecima.**

53. XII. Porro imprudens ille adverſarius poſt tot felices novæ methodi ſucceſſus adhuc ſuſtinere conatur *veterum methodum præferendam eſſe novæ Anellianæ*, cum tamen ratione & experientia teſtibus vetus ſit longe crudelior, violentior **Duodecima.**

H 2 &

& incertior, unde ſimul oculi deformitas, oculus lacrymans, aliave varia mala provenire poſſunt; verum a nova methodo talia minime metuenda. Attamen inſtat *callum ſine refugio ad ferrum, ignem aut cauſtica curari non poſſe, adeoque methodum uſitatam novæ præferendam eſſe.* Verum ſciat adverſarius Autorem ſuam methodum non pro univerſali venditaſſe. Præterea notum eſt, dari tales rebelles callos, qui omnibus illis violentis, remediis non cedunt, & tamen ſæpe effectu balneorum aut thermarum, aut inunctionum ☿ialium, tanquam remediis longe blandioribus curantur. Itaque & ſimilium medicamentorum frequenti injectione in fiſtulas lacrymales calloſas, emolliri, reſolvi, & felicius ſæpe tolli poſſe callos quam vulgari methodo, non eſt cur dubitemus; contra vulgari methodo multas fiſtulas lacrymales fruſtra & ſine omni effectu ſæpe tractatas fuiſſe, etiam lippis & tonſoribus notum eſt.

Decima tertia. §. 54. XIII. *Non eſſe opus iniectionibus pro collyriis per puncta lacrymalia immittendis, ea enim ſponte ingredi teſte Galeno.* ℞. inde ſequi contra adverſarium, 1) quod puncta lacrymalia non ſint adeo exigua, ſicuti ea eſſe voluit, tunc enim ingredi non poſſent, 2) ſponte non influere poſſe tantam copiam, quanta pro uſibus neceſſariis requiritur, nimirum pro diſſolutione, abſterſione, diluitione & eluitione ſufficiente materiæ purulentæ, viſcidæ, craſſæ vel acris in viis lacrymalibus contentæ; pro quo ſcopo oportet, ut ſufficiens collyrii copia impetu quodam iniiciatur, qui effectus a ſola inſtillatione expectari non poteſt. Præter dictos uſus eis reſolvi & emolliri poſſunt calli, mundari ſinus, oſſa a carie, ſaltem leviori, purgari, fibræ ſacci lacrymalis roborari, atque in ſtatum naturalem reſtitui. Imo ſolis iniectionibus & ſine ſpecillo illæ fiſtulæ curari poſſunt, in quibus tubulus naſalis adhuc apertus eſt. Denique ſicuti alias fiſtulas obſervamus, quæ ſine iniectionibus rite mundari & ſanari non poſſunt, & ubi ſimplex inſtillatio non ſufficit, ita & in his fiſtulis rem ſe habere manifeſtum eſt.

55. XIV. Tandem ex *titulis* , *itineribusque Anelli*, *Decima*
& aliis quoque curationibus , *quas Autor tamen optimo* *quarta.*
cum ſucceſſu peregit , *nimirum deſperatam femoris luxationem* , *inveteratam fiſtulam illuſtriſſimi comitis à Kœnigseck curatam* , *& aneuriſma brachii reſtitutum* , *adverſarius cavillandi anſam arripit* , quos vero caſus omnes hic prolixe proſequi diſſertationis limites prohibent: Sufficiet hoc innuere quod *Anellus* eum ubique tam ſolide refutet, & mendacii convincat, teſtimoniis probatiſſimis, ut nihil fere ſolidius refutari queat.

56. *Tranſimus ergo ad alterum adverſarium* : Huius *Alter ad-*
quidem nomen non indicatur in tractatu Anelli, forte quia eius *verſarius.*
epiſtolæ non ſunt impreſſæ, & ut honori & famæ eius parcat; attamen ita deſcribitur & quaſi delineatur, ut illis, quibus Medici ocularii Parienſes noti, haut poſſit eſſe ignotus; nam *Anellus & Fantonus* Profeſſor Taurinenſis ſcribunt, quod ſit ocularius celebris, Pariſiis quidem degens ſed non Pariſienſis; quod ſit iam ætate provectus & dives; at faſtuoſus, ſuperbus, opinionis ſemel conceptæ tenaciſſimus, ſic ut infallibilem ſe credat in morbis oculorum: & univerſi quaſi oraculum, præſumptionibus longæ experientiæ plenus, in ſcribendo mordax, acris, vehemens, ac ſæpe inſolens & inurbanus, agreſtibusque moribus præditus a natione ſua alias alieniſſimis, inprimis erga eos, qui ipſum magnifecerunt, & quam humaniſſime tractarunt: in iudicando præceps, fervidus, contradicendi ſtudioſiſſimus, qui ſe ſolum omnia recte ſcire ſibi imaginatur, & qui ab aliquo tempore magno Medicorum & Chirurgorum celeberrimorum numero contradicere & inſultare non eſt veritus. Hinc inurbanos, rudes, impolitos & agreſtes mores ſæpius ipſi exprobrant *Anellus & Fantonus*, qui ignoraret cum honeſtis & in dignitatibus conſtitutis debito modo & honeſte agere, quod inprimis manifeſtavit in reſponſionibus variis, quas ob morbum Sereniſſimæ

Sabaudiæ Principis a variis Medicis & Chirurgis Taurinenſibus diverſis vicibus quam humaniſſime rogatus & conſultus dedit, in quibus ſemper Archiatros, Profeſſores & Chirurgos præcipuos ineptæ morbi relationis & ignorantiæ reos agit, ac tam vehementer in eos invehitur terminis ſive expreſſionibus, ut antea dictum eſt, adeo mordacibus, impolitis & inurbanis, imo ſubinde contumelioſis, ut viris bonis talis arrogantia & mores merito ſint intolerabiles, cum tamen exactiſſima morbi relatio ipſi eſſet transmiſſa, ipſe vero morbum non cognoviſſet. Poſtquam ex ſequentibus relationibus adhuc magis perſpicuis reſcivit morbum prædictum conſenſu Medicorum ac Chirurgorum prædictorum haberi pro fiſtula lacrymali, ſed extra ſaccum lacrymalem ſita, hoc impoſſibile & abſurdum eſſe iudicavit, ubi ſimul nova Anelli methodus, quæ pro curatione proponebatur, bilem ipſi commoverat, quam propterea falſa prognoſi aggreſſus eſt, eamque inutilem hic futuram eſſe pronunciavit, cum tamen ægra, quam deterrere voluit, hac methodo perfecte fuerit ſanata.

Objectio I. 57. Vt autem præcipuas eius obiectiones perpendamus, primum cum aſſererent *dari certas fiſtulas lacrymales ſine ulla ſacci lacrymalis alteratione aut læſione, & illam fiſtulam de qua agebatur non exiſtere in ſacco lacrymali, ſicut perſpicua deſcriptione evicerunt, mox vehementer inde commovebatur, & acriter ſuſtinebat, hoc aliquid eſſe impoſſibile, ridiculum, abſurdum, nulla ratione verum, ſeque ignorare & mirari, quam ob cauſam talis fiſtula ſtatuatur:* Transmittebatur ei poſt aliquot conſultationes adhuc exactior deſcriptio, cum delineatione oculi affecti, & accurato loco tumoris, rogabaturque ut malum exactius perpenderet: verum opinionis prioris tenax ſententiam ſuam non mutabat, ſed potius eis, qui relationem conſcripſerant, imputabat, quod relationem exactam facere non poſſent; cum tamen ſcripſerint nihil p. n. in

loco

loco ſacci lacrymalis exiſtere, nullum ibi tumorem, nihilque eo preſſo effluere; verum preſſo tumore p. n. ſub puncto lacrymali in palpebra inferiore pus per ſolum punctum inferius lacrymale effluere. In eadem tamen perſeverabat ſententia *ſaccum lacrymalem hic eſſe ulceratum, dilatatum, fiſtuloſum, atque hoc infallibiliter verum eſſe pertinaciter contendebat.* At ſemper erraſſe oraculum hocce comprobarunt *Fantonus* & *Anellus*, & eo ipſo eum neſciviſſe demonſtrarunt magnum momentum, in fiſtulis lacrymalibus ſcitu neceſſarium, ſi de ſede eius recte iudicare velimus, neque ſtructuram & ſitum ſacci lacrymalis accurate, ſicuti decet, noſſe: Nam fiſtula illa intra duplicaturam palpebræ inferioris, perpendiculari linea ſub palpebra inferiore, hærebat, cum ſaccus lacrymalis inter naſum & magnum oculi angulum ſitus ſit, & magnum ſatis ſpatium inter puncta & ſaccum intercedat, nimirum ipſi ductus punctorum lacrymalium, duarum & quod excedit linearum, & hæc fiſtula ductum puncti lacrymalis inferioris eroſerat, ut preſſa per punctum lacrymale inferius pus emitteret: Hincque hic morbus aliud nec habet nec convenit nomen quam Ægilopis ſive fiſtulæ lacrymalis, prout vulgo ſumitur, quamvis independens ſit a ſacco lacrymali.

58. II. Ocularius Pariſienſis mordacibus ſcribit verbis, *canalem naſalem obſtructum ſpecillo nunquam poſſe deobſtrui, & ſi Autor novæ methodi, Anellus, ſciret modum, quo ductus ille ſe obſtruit, ipſe fateretur impoſſibilitatem.* Verum reſpondet *Anellus*, ſe & Medicos Taurinenſes experientia edoctos melius hunc obſtructionis modum ſcire, quam ocularium hunc, eumque neque clavo neque calculo eſſe obſtructum, ſed longe molliori ſubſtantia, quam iam ſæpius ſpecillo perforatam noſſent; ideoque obſtructionem illam neceſſario eſſe ſuperabilem, nec adeo fortem, ſicuti ille ocularius ignaris perſuadere conatur, cum hanc obſtructionem per myſterium quoddam, *Object. II.*

dam, non aliis doctis, ſed ſibi ſoli cognitum fieri perhibet, quem tamen modum quam maxime ignorare inde patet, dum eum tantopere & plus quam par eſt, exaggerare contendit, inprimis dum aſſerit, quandoque ſponte canalem naſalem obſtructum rurſus aperiri, cur non etiam idoneo inſtrumento aperiri poterit?

Object. III. 59. III. Pergit adverſarius novam impugnare methodum, inquiens, *ægrum Genuenſem non laboraſſe fiſtula, ſed tantum excoriatione in ſacco lacrymali.* Sed reſp. excoriatio ſacci lacrymalis, quæ per tres annos duravit, & quotidie multum purulentæ materiæ per puncta lacrymalia dedit, quamque omnes Medici & Chirurgi pro fiſtula habuerunt, & ut fiſtulam tractaverunt, non poterit aliter appellari, quam fiſtula lacrymalis: & qui tam inveteratam ſacci lacrymalis excoriationem blanda methodo ſanat & ſanare docet, ille profecto applauſum & laudes meretur, non iniquas tales cenſuras. Imo in ultima ſua epiſtola adverſarius ipſe ſibi contradicit, dum ſcribit: *Simulac humor purulentus per puncta lacrymalia effluit, ſine exitu per naſum, certo aſſeri poteſt, morbum talem eſſe fiſtulam.* Dum vero in ægro Genuenſi res ita ſe habuit, ſequitur inde ex eius verbis & morbi huius ſignis pathognomicis, eum non ſimplici excoriatione, ſed vera fiſtula laboraſſe.

Obiectio IV. 60. Vlterius reponit adverſarius, *tempus detexiſſe vanitatem infinitorum inſtrumentorum aut machinarum in ſpeculatione admirabilium, ſed in praxi inutilium, idemque de inſtrumentis Anelli ſentiendum eſſe.* Verum reſpondetur, inſtrumenta & methodum Anelli non fuiſſe ſpeculationes aut problemata mathematica, contra quæ forte talia opponi potuiſſent, ſed cum optatiſſimo ſucceſſu iam uſurpata, quod adverſarius jam tum noverat. Ergo temere & imprudenter talia regerit contra res aut experimenta iam facta, quæ non in mera ſpeculatione conſiſtebant: atque male tam utilem metho-

dum

dum contemnere, reiicere aut pro re vana atque ridicula proclamare allaborat, quod virum honeſtum non decere, ſæpius ipſi improbant *Anellus & Fantonus*: imo tandem in fine epiſtolæ ſuæ tacite fateri cogitur, methodum Anelli non eſſe vanam aut inutilem, dum inquit: *Si ope ſpecilli obſtructio canalis naſalis aperiri poteſt, calloſitates in ſacco lacrymali & caries curatu erunt faciles; ſcirem ego (*pergit,*) egregie ſupplere id, quod Autori adhuc deficit.* Sed reſpondet Autor, ſe ab initio ſtudio aſſerere noluiſſe, quod callus & caries hac methodo etiam curari poſſint, quia ſine experientia nihil affirmare voluit; ſed ſi tales caſus ipſi occurrent, ipſe quoque aliique boni Medici & Chirurgi idonea medicamenta invenire poterunt, nec forte indigebunt iactatis adverſarii arcanis; quoniam autem obſtructio canalis naſalis ſpecillo tolli poteſt, ſicuti hucusque demonſtratum eſt, ſequitur ſecundum adverſarium fiſtulas quoque inveteratas cum callo aut carie hac methodo per iniectiones idoneorum remediorum curari poſſe, ea enim ſine ſiphunculo callo aut cariei applicari non poterunt: Ergo ipſum tacite utramque Anelli operationem approbare, haud difficulter ex dictis colligi poteſt.

61. Dignum profecto & multis gratiſſimum fore exiſtimo, ſi variorum eruditorum Italiæ & Galliæ integras epiſtolas ob elegantiam & eruditionem hic adderemus, in quibus *Anellum* contra Signorotti & ocularii Pariſienſis cenſuras argute non minus quam lepide ac maſcule defendunt, inprimis vero epiſtolas D. D. Fantoni, Bianchi, Terranei, Medicinæ Profeſſorum in Academia Taurinenſi celeberrimorum, D. D. Jugeti, Lancifii, Manzini, Piſelli, Belloſtii, Valliſnerii, Morgagni, Molinetti, Notti, Bazzani, Fantini, Donelli, Sandri, Trombelli, Riccii, Wolhufii, Merii, aliorumque: Verum ob prolixitatem evitandam, præcipua eorum momenta in antecedentibus, ea, quo potuimus brevitate, collegimus, & cum lectore benevolo communicavimus. *Defenſores Anelli.*

 Cap.

CAP. VII.

Obſervationes D. Præſidis ſiſtit.

62.

Obſervat. I. VErum ut non ſolum aliorum acta lectori hic tradamus, (quod tamen inventum hoc adhuc ignorantibus haud ingratum fore ſperamus) etiam pauca adiiciemus, quæ circa hanc materiam ab Excell. D. Præſide obſervata ſunt, practicis forte & iunioribus Chirurgis non inutilia. Poſtquam enim nova hæc methodus D. Præſidi innotuit, adeo placuit, ut diligentius in fiſtulas lacrymales inquirere ſibi propoſuerit, & brevi in quinq; oculis totidem veras fiſtulas obſervaverit. Prima erat in ruſtico quodam 40 circiter annorum, qui ob morbum uxoris ultima hyeme ipſum conſultum veniebat; Percipiebat in eius oculi dextri angulo interno, materiam purulentam ſive verum pus ex albo flaveſcens, & totam palpebræ inferioris oram lacrymali liquido ita inundatam, ut ſæpius guttæ ſive lacrymæ per genas depluerent, inſimul in loco inter dictum angulum & naſum parvum tumorem hemiſphærii piſi maioris magnitudine. Mox cupido ipſum invadebat ad hoc malum exactius perquirendum cognoſcendumque, & interrogabat ruſticum, cumprimis cum videret eum hunc oculum ſæpius detergere, quamdiu hoc incommodo laboraret, & reſpondit, iam a puero ſe eo affici, ſed nihil præterea moleſtiæ inde ſenſiſſe, quam quod oculum ſæpius abſtergere cogatur. Rogavit ulterius, permitteret hunc oculum paulo accuratius inſpiciendi atque examinandi, quo conceſſo ruſticum ſedili luci oppoſito impoſuit, lacrymale & purulentum liquidum ex oculo abſtulit, palpebram porro ſuperiorem ſiniſtra manu ita elevavit & invertit, ut punctum lacrymale manifeſtiſſime videri potuerit; poſtea altera manu tuberculum illud compreſſit, ſic ex hoc puncto perſpicue purulentam materiam non tantum effluere, ſed quaſi proſilire conſpexit. Deterſo & mundato rurſus oculo

ad

ad inferiorem palpebram examinandam progreſſus eſt, eaque deorſum ita protracta, ut ipſius punctum lacrymale in conſpectum prodiret, compreſſo rurſus tumore etiam per hoc punctum pus profluere obſervavit, & tunc ſaccus lacrymalis evacuatus concidebat, tumorque penitus diſparebat. Proponebat ipſi curationem hujus mali, ſed, ut eſt ruſtica gens, quoniam nullum dolorem aut aliud grave incommodum inde percepit, nec a laboribus ſuis conſuetis tamdiu, quam pro curatione requiritur, abſtinere poterat, curationem recuſavit. Permiſit tamen, ut delinearet hunc oculum, quod propterea D. Præſes fecit, ut locum tumoris ejus eo exactius notare poſſet, qui ſæpe, & inprimis ubi ulcus extra ſaccum lacrymalem, variat, & nunc ſupra nunc infra hunc locum, modo perpendiculariter infra punctum lacrymalem inferius exiſtit, ut ſic medici & chirurgi, qui oculorum morbis curandis ſe applicant, eo exactius de ulceris loco judicare poſſint, & an extra vel intra ſaccum lacrymalem exiſtat, qua in re magnum curationis momentum verſatur, & tam acerbas lites inter Anellum & ocularium Pariſienſem, ſicuti ex ſupra dictis conſtat, excitavit.

63. Alteram & tertiam fiſtulam lacrymalem in una eademque muliere obſervavit, tinctoris ſcilicet ancilla, triginta quaſi annorum, quæ in utroque oculo fiſtulis laborabat jam ultra quadriennium, iisque peſſimis. Ægra ſcilicet hæc temperamenti ſanguineo-phlegmatici cum aliquando circa tempus menſtruorum diæta admodum incongrua & dura uti cogebatur, menſtrua inde obſtruebantur, ſed vehemens inflammatio ſive eryſipelas totam faciem corripiebat, & oculi a tumore palpebrarum per aliquot dies penitus occludebantur; ab illo tempore puris effluxum ex utriusque oculi cantho majori continuo paſſa eſt admodum copioſum, ſic ut ciliæ continuo pure obſeſſæ & inviſcatæ eſſent: imo quod pejus, ſingulo ab hinc menſe circa tempus, quo menſtrua prodire debebant, quæ autem ſæpius *Obſervat. II. & III.*

 inter

inter ſex menſes vix ſemel fluebant, ſemper tale eryſipelas faciem invadebat, palpebræ valde intumeſcebant, præſertim notabilis tumor inter utrumque angulum majorem & naſum oriebatur, qui tertio plerumque die ſponte ſemper rumpebatur; unde pus per aliquot dies effluebat, & tunc facies rurſus detumeſcebat, ulceris apertura ſponte ſemper rurſus coaleſcebat, remanente tamen puris effluxu perpetuo ex angulo majori utriusque oculi. Et hac ratione eadem tragœdia jam per quadriennium agebatur, ſic tamen, ut non ſemper in utroque latere ſimul aperiretur abſceſſus, ſed modo in hoc, modo in illo latere, frequentius tamen in oculo dextro, qui etiam maximam ſemper puris copiam fundebat.

64. Interea, præſertim primis hujus mali temporibus, varios barbitonſores & balneatores, ſicut plebs conſuevit, conſuluit; qui quidem abſceſſulos illos brevi rurſus conſolidarunt, ſed morbus inde nihil minuebatur. Tandem circa initium hujus anni, cum malum ſemper ingraveſcere ſentiret, & perpetuum circa ſaccos lacrymales ardoris ſenſum perciperet, ipſum acceſſit, atque modo deſcriptam morbi hiſtoriam prolixe enaravit. Examinabat tunc curate utrumque oculum, qui ob pus ciliis implicitum indecorum admodum aſpectum præbebant. Obſervabat inter utrumque angulum majorem & naſum duas cicatrices in cute, ubi alias abſceſſuli rumpebantur, quæ tamen ad duarum circiter linearum diſtantiam ab angulis prædictis diſtabant, & quidem non in linea horizontali cum angulis, ſed obliqua deorſum, ſicuti Tabula II. demonſtrat.

65. Nullus autem tumor præter naturalis conſpiciebatur, qui, ut poſtea obſervavit, nunquam apparebat, niſi circa tempus illud, quo tota facies inflammari ſolita erat. Unde apparet, non in omni fiſtula lacrymali tumorem circa angulos oculi adeſſe. Loco tamen cicatricis preſſo, & palpebris convenienter diductis, ſeroſa & purulenta materia manifeſte per ambo puncta lacrymalia

crymalia

crymalia regurgitabat: unde fiſtulas veras lacrymales hic adeſſe nullus dubitabat. Decrevit hoc in ſubjecto novam Anelli methodum periclitari; ſed cum ægra hæc tam cachectico corporis eſſet habitu, & hyems adhuc adeo rigida, curationem, quæ manu fit, inchoare non e re fore arbitratus eſt, niſi prius hyemis ſævities maxima tranſiiſſet, & corpus per medicamenta idonea prius eſſet diſpoſitum. Quapropter usque in Martium curam diſtulit, atque interea inſtrumenta ad modum Anelli ex ſuo ingenio ſpecilla ſcilicet & ſiphunculum ſubtiliſſimum Tab. I. delineata fabricari curavit: nam neque Anelli inſtrumenta neque alia ad ejus exemplaria facta unquam vidit; Poſtea vere appropinquante varia contra intemperiem ejus idonea medicamenta interna ipſi ordinavit, evacuantia & alterantia, Venæ ſectionem & inprimis etiam emmenagoga, quibus etiam id effecit, ut menſium fluxus, diu antea non viſus, rediret.

66. Deinde ad operationem, me aliisque ſtudioſis præſentibus, progreſſum fecit, atque primo ſpecillum ſubtiliſſimum per ſuperius punctum lacrymale ad ſaccum lacrymalem immiſit, id quod maiori facilitate ac minori cum ægræ moleſtia aut dolore contigit, quam antea ſperabat. Hoc facto hinc inde blande motitavit ſpecillum, & ex ſtridore, quem ex alliſione contra os percepit, non aliter iudicare potuit, quam quod os eſſet nudum & forte etiam carioſum, imo percepit ſtylum ſine ulla violentia pergere ad cavitates oſſis ethmoidis ad profunditatem digiti transverſi, & pollicis, verum usque ad naſum non penetrabat. Dum eum verſus ductum naſalem dirigebat, primis diebus ibi progredi renuebat, quamvis id vario modo tentaſſet, & ultra ſaccum lacrymalem non deſcendebat, unde eo certior erat canalem naſalem fortiter eſſe obſtructum aut potius firmiter coalitum. Poſtquam per dimidiam horam quotidie per aliquot dies hoc tentaverat in utroq; oculo ſpecillo educto, poſtea etiam iniectionem ſemper tentavit, ubi liquidum ad ductum Anelli pro iniectione præparavit ex ſale amaro Anglicano Ebſamenſi, quod

 forte

forte ad manum erat, cuius ℥j diſſolvit in ▽ chelid. maj. ℥iv addito parum mellis roſati: atque hoc liquidum tepidum ſubtiliſſimo ſiphunculo per punctum lacrymale palpebræ inferioris iniecit, id quod ſemper magna copia inter iniiciendum per ſuperius palpebræ punctum pulchro ſpectaculo proſilibat, atque ſimul ſæpe pus craſſum & quaſi coagulatum, nunc membranulas corruptas expellere mecum ſæpius viderunt aliquot Medicinæ & chirurgiæ ſtudioſi. Tandem tamen quarto quintoque die paulo fortiorem preſſionem verſus canalem cum ſpecillo inſtituere decrevit, ut ſic coalitum hunc ductum rurſus perforaret; id quod etiam ita ſucceſſit, ut ſpecillum tandem per hunc ductum in nares adigeret, id quod non ſolum ex ſenſu ægri in naſo, & ex pauci ſanguinis effluxu cognovimus, ſed etiam ſpecillo ferreo quodam ordinario in nares immiſſo tetigimus & colliſionem utriusque percepimus. Specillo poſtea ex puncto lacrymali rurſus extracto, iniectionem quoque inſtituit, & vidimus non ſolum aquam per nares exſtillare, verum ægra ſaporem eius etiam in faucibus percepit. Poſtquam hoc per aliquot dies iteraverat, tempus menſtruorum redibat, & facies denuo ſolito illo eryſipelate afficiebatur, unde palpebræ quoque ita intumuerunt, ut oculi non aperiri nec conſuetæ hactenus operationes fieri potuerint, ideoque per aliquot dies intermittendæ erant, ordinavit autem interea Venæſectionem in pede, pediluvia aliaque ad fluxum menſtruorum promovendum, unde etiam redibat, attamen tertio die infra oculi dextri canthum maiorem abſceſſus ſponte, ut alias ſolitus erat, rumpebatur, apertura lineam mathematicam excedente, ſicuti eam *tab. II. a* delineavimus; in ſiniſtro autem oculo nulla facta eſt ruptura, ſed uterque oculus & facies rurſus detumuerunt. Cum igitur aperturam externam hic haberet per quam acceſſus in fiſtulam dabatur patentior, conſultum duxit eam non ſolum apertam ſervare pro curationis commoditate, ſed eam quoque paullo dilatare, ut de fiſtulæ ſtatu eo

fieret

V. ſy apres p. 67

fieret certior, id quod ſpongia præparata præſtitit. Altera die cum foramen eſſet patentius, ſpecillo fundum examinavit, & varios ſinulos verſus illam oſſis ethmoidis partem offendit quam os ſpongioſum narium ſuperius appellant, & oſſicula quidem hinc inde nuda, attamen quod mirandum, neque in eis, neque in pure colorem præter naturalem deprehendit, ſed canalem naſalem explorans, eum denuo clauſum reperit.

67. Quapropter eum denuo perforandum duxit, id quod etiam paulo fortiori ſpecilli adactione factum eſt, denuo aliquot ſanguinis guttulæ ex nare dextra procidebant, & ſpecillum lacrymale in canali hærens alio ſpecillo per narem immiſſo manifeſto tangi poterat. Specillum poſtea lacrymale pro expeditiori via paranda aliquoties ſurſum deorſum motitavit, eoque tandem extracto, aquam illam mineralem pro iniectione ſupra deſcriptam, addito parum Eſſentiæ aloës & myrrhæ tepidæ ſiphunculo paulo maiori in fiſtulam iniecit, non ſolum pro oſſiculis corruptis mundificandis, ſed etiam pro canali recens facto aperto ſervando, id quod etiam tali fiebat ſucceſſu, ut iniectio copioſe per nares ad fauces deflueret, & ægræ non ſolum ſaporis amari nauſeabundam perceptionem, ſed etiam ex illapſu in aſperam arteriam tuſſim excitaret. Hac aliquoties iterata, donec fiſtula probe purgata videretur; exiguam & mollem turundam in aperturam indidit Eſſentia aloës & myrrhæ imbutam; quam emplaſtro, ſplenio & faſcia ſuperadditis in fiſtula retinuit. Et quoniam dum hæc peraguntur, ut facile ſuſpicari licet, hora integra tranſit, herus huius miſeræ ancillæ paullo auſterus moræque pertæſus plus temporis ipſi concedere nolebat, eamq; ſemel tantum in die ad ipſum accedere patiebatur; ideoq; ne diutius apud eum retineretur, in oculo ſiniſtro nihil amplius moliri decrevit, donec videret, quid cum dextro futurum ſit: & quoniam nullum nigricantem in oſſe colorem percipiebat, & ſimul tot ſinuli & fracturæ ſive eroſiones oſſis ethmoidis & lacrymalis adesſent, iudicavit cauteriis nihil hic effici poſſe: imo tentare conſultum duxit, an non per iniectiones tales hi ſinuli oſſisque eroſiones ſanari queant ſine violentiori methodo, præcipue cum fiſtulam genæ ſive maxillæ inferioris admodum inveteratam, ubi os iam valde eroſum fuit, diligenti tali iniectione haud pridem ſanaverat. Itaque altero die utramque operationem repetiit, ubi quidem ſpecillum lacrymale non niſi aliqua vi adhibita ad nares tranſiit; verum non dubitat, ſi bis in die mane & veſperi hanc operationem iterare licuerit, canalem naſalem facilius apertum ſervari potuiſſe, atque ſic per tres adhuc quatuorve dies & ſpecilli transmiſſionem & iniectionem bono cum ſucceſſu repetiit, donec tandem palpebræ a prægreſſo eryſipelate penitus rurſus detumuerint & ſubſederint. Intumeſcentia hac reſoluta, experiri quoque volebat, quid fieret, ſi iniectionem inſtitueret in punctum lacrymale, & ecce, dum liquidum ejus per illud iniiceret, per externam aperturam rurſus effluebat, id quod communicationem punctorum lacrymalium cum hac apertura ſatis evincebat. Dum ſic per octiduum circiter continuaverat, & pus naturale, bonum, æquale quotidie minori copia profluc-

fluebat, nec præternaturalis color in turundula ſe manifeſtabat, ulcus bene mundificatum apparebat, & iniectum liquidum ſatis copioſum & facile ad nares tranſibat, conſultum reputavit præternaturalem aperturam claudere & conſolidare, reliquumque curationis per puncta lacrymalia abſolvere.

68. Verumenim vero ulceris apertura intra triduum conſolidata, vix ſemel iterumve cum accesſit, quin herus impatientior & moroſior, menſe Aprili, remittente præteriti hyemis ſævitie, labores ſuos tinctorios fortius urgeret, in quibus, cum ancillæ ſuæ opera valde indigeret, nihil quicquam temporis ipſi largiri amplius voluit, niſi diebus ſacris, ideoque miſera ab eo tempore non niſi diebus talibus aliquoties cum accedere potuit, & poſtea penitus non rediit, tamen hucusque conſtanter affirmavit, ex dextro illo & peſſimo oculo nihil amplius puris effluere, niſi quandoque pauxillum mane, quando ſurgit, ſed per totum diem ſe nihil quicquam incommodi inde percipere, cum alias continuo & copioſe efflueret. Siniſter vero oculus, in quo non niſi aliquoties molitus erat ſpecilli immiſſionem & aquæ mineralis iniectionem, tam bene ſe habuit, ut parum vel nihil per longum ſatis temporis ſpatium præternaturale exhiberet.


69. Non dubito, dextrum inprimis oculum omnino iam eſſe ſanatum, ſi debito modo eam tractare potuiſſet, cum ex relatis patet, quantum fiſtula hæc emendata & fere ad integram curationem perducta erat. Nihil igitur, rebus ita ſe habentibus, moliri vel experiri decrevit donec ancilla hæc aliquando, uti ipſi in animo eſt, ſuo conductus tempore elapſo, herum hunc mutaverit, ut debito modo curationi vacare queat.

Obſerv. IV. & V. 70. *Quartam & quintam fiſtulam lacrymalem cum D. Præſide in utroque oculo obſervavimus virginis XV fere annorum*, cui in prima iuventute a variolis ortæ ſunt, & iam per decennium fere durarunt. In hac vero quoniam D. Præſes tantum a paucis diebus curationem inchoavit, & methodo Anelliana utrumque ductum lacrymalem iam perforavit, ut ſtylus quotidie & aqua iniecta in nares tranſeant, puriſque copia in dies minuatur, D. Præſes accuratam huius curationis deſcriptionem impoſterum edere nobis ſpem fecit: hinc Benevolum Lectorem ad illud tempus, donec hæc apparuerit, remittimus, & ut interea labore noſtro fruatur, quavis obſervantia rogamus, erroreſque ex feſtinatione commiſſos benevole interpretetur.

DEO autem immortali pro conceſſis viribus ſit laus, honor & gloria!

Errata notabiliora ſic corrigenda:

Pag. 4. lin. 5. pro *quem*, lege *quod.*
pag. 11. lin. 16. lege *Fig.* 1. & 4. lin. 29. pro *Veteribus* lege *Autoribus.*
pag. 14. ad lineam ultimam adde: Fallopius *Obſerv. Anat.* Stahlius *Propempt. de fiſtula lacrymali.*
pag. 22. lin. ult. pro *cap.* 3. lege *cap.* 7.
pag. 45. lin. 4. pro *ac* lege *de.*
pag. 46. lin. 4. pro *dliatari* lege *dilatari.*
pag. 50. lin. 5. pro *ſatulare* lege *ſalutare.* lin. 25. pro *patta* lege *fatta.*
pag. 54. lin. 15. pro 41. lege 42.
pag. 56. lin. penult. pro ἀνχίλωπα lege αἰγίλωπα.


TAB. I
fig. 1
a
b
a
fig. 2 et. 3
b
c
b
c
a
d
d
e
a
b
c
b
c
d
d
e
fig. 4
a
c
b
d
c
a
e
f
fig. 5
a
fig. 6
fig. 7
a
fig. 8
a
b
a
b
c
d
e
fig. 9
a
b

TAB. II

